De verbis Latinorum deponentibus

commentatio grammatica,

quam

venia amplissimi Philosophorum Ordinis
Academiae Alexandreae

publice examinandam proponit

Adolphus Waldemarus Jahnsson
Philos. Licentiatus,

in auditorio philosophico die XXX Novembris MDCCCLXXII

h. a. m. s.

Helsingforsiae,
ex officina Frenckelliana, 1872.

Index Capitum.

Praefatio.

Heros ille carminum Fennorum popularium "Wäinämöinen", vates longe omnium sapientissimus, in scapha fabricanda occupatus, cum iam non multum abesset, quin eam haberet confectam, in difficultatem incurrit, cui mederi primo frustra studebat — ignoravit enim tria "verba principalia" — donec multa expertus ad hominem iam pridem mortuum, cuius sepulcrum altis operiretur arboribus, sese contulit, qui eum haece docuit verba, quibus quae obstarent removerentur omnia. En viam, quam secuta sunt linguarum studia! Per plurima enim saecula hominibus doctis eandem incudem, ut aiunt, tundentibus contigit, ut verborum copiam nonnullarum linguarum digererent, suum cuique locum in disciplina attribuerent, eorum formas et usus notarent, denique *quomodo* res in linguis sese haberent, magna ex parte demonstrarent; verum *cur* haec ita essent, haec quaestio difficilior fuit, quam ut dissolvi posset ea quam sequebantur via. Defuerunt illa "verba principalia", claves quodammodo, quibus latebrae linguarum quasi reserarentur. Iam quidem grammatici significationes verborum descripserant, sed perverse saepius, quia principalis significatio eiusque cum tempore mutationes nondum satis explicatae erant; iam pridem verbum unumquodque in partes conati erant secernere, sed tum demum nisi singulae verborum partes artissime inter se coaluerant, principio eas sui iuris videbant fuisse verba; iam dudum iuvenilis linguae proprietates singulares observaverant, at haec ab eis observata, manca sane et dispersa, nondum arte concluserant, neque vero — id quod maximum est — qui usus gramma-

ticae ex studio redundaret antiquitatis intellegebant. Nostro demum saeculo in linguarum cognitione magna est effecta conversio. Antea enim cum graeca et latina linguae fere solae investigatoribus dignae visae essent, quarum leges quaererent, perscrutarentur, cognoscerent, tum etiam lingua sanscrita in quaestione versari et eadem cum aliis linguis cognatis comparari est coepta, qua quidem comparatione iam initio res in lucem prolatae sunt adeo necopinatae, nihil ut dubium esset, quin magnopere in se hominum doctorum oculos animosque converterent. Etenim lingua sanscrita cognita "verborum principalium" quasi vestigia indagata sunt, qua re effectum est, ut ad origines verborum graecorum et latinorum, immo vero multarum aliarum linguarum, quas indogermanicas vocare solemus, penetrari aut saltem adpropinquari posset, quandoquidem sanscritam pervestigantes sororem quodammodo maximam natu harum linguarum invenerant, quae os vultusque retinuisset sinceriora, incorruptiora, origini magis respondentia, quam linguae cognatae omnes. Fons certe, unde haece linguae manant et proficiscuntur, nondum quidem fuit repertus, attamen mutationibus ipsius sanscritae aliarumqne linguarum ad idem genus pertinentium diligenter accurateque observatis et consideratis fieri potest, ut coniectura verisimillima longius altiusque ascendamus originem versus, immo saepe eam attingamus. Neque vero ita vis vocabulorum principalis sola explanata est primaque eorum forma quasi evoluta et explicata, verum etiam — id quod nemini prius in mentem venerat — argumentis haud dubiis demonstratum est atque probatum, omnes fere stirpium accessiones e verbis sui iuris natas esse, quarum quidem quo plus cuique aetatis accesserit, eo magis mutatae sunt multae, ut minime omnino aut difficulter saltem agnosci possint. *Boppius* investigator linguarum ille illustrissimus primus haec studia excitavit et eventu investigationum felicissimo animos aliorum ad studium sanscritae discendae et linguarum

inter se comparandarum inflammavit; quae comparandi ratio rapidi fluminis instar extra orbem linguarum indogermanicarum fines iam propagavit et sine dubio in omnes linguas notas iam iamque extendetur. — Pericula quidem linguas comparandi iam inde a temporibus Varronis saepius facta esse nemo est, qui ignoret, sed linguae inter se comparatae pauciores fuerunt (neque hae quidem origini proximae), quam ut certi aliquid quodque plane probandum esset inveniretur, neque vero qui in studium linguarum comparandarum incubuerunt, ullis rationis vinculis se praebuerunt obstrictos, sed proprietates maxime varias linguis inesse putantes vix ulla opinionum monstra perhorruerunt. Etiam recentissima aetate nonnulli incautius progressi sunt, quam in regione tam incerta ire liceat — eventus enim fiduciam procreavit et audaciam — ut viri coniecturis consueti saepius argumenta infirmissima satis idonea putarent, quibus probari posset, quod audacissime posuerunt. Quare multae eiusmodi sunt coniecturae, quas refutare ac novis studiis quam maxime emendare investigationis est accuratae, cui iam contigit argumentis, quae infirmari non possunt, vel difficillimas res evolvere et certis terminis concludere. Neque tamen scio, an ad eam doctrinam, quam iam habuerunt homines docti, qui in comparandis linguis sunt versati, adiungenda sit investigatio sententiae vocabolorum accuratior, quam quae adhuc ab eis instituta est. Mira enim sagacitate sonum litterarum earumque mutationes atque proprietates verborum etymologicas indagaverunt, sed haud raro externae vocum naturae solius rationem habuerunt easdem quodammodo quasi mortua corpora tractantes neque in varias earum formas variasque aetates inquirentes satis observaverunt, quomodo animus quasi earum, vim dico eis subiectam, variis aetatibus sit excultus quidque ponderis huic mutuae coniunctioni in formarum mutationibus sit tribuendum. Imprimis in verbis, de quibus quaerimus, deponentibus diiudicandis crebri, ni fallor,

errores inde nati sunt, quod aut in formam aut in notionem solam animum intenderunt investigatores. Summa quidem ratio, ad quam omnia referri oportet, vel potius summus fons, unde omnia sunt deducenda, linguis multis inter se comparatis demum est inventus, sed nihilominus plane ad arbitrium tractata sunt singula deponentia variisque in componendis verbis profuerunt rationibus. Quando enim ad quaestionem quandam evolvendam idoneum fuit, passivae deponentium formae ratio est habita eique convenienter haec aliquo modo sunt reddita, quando vero aptius ad rem declarandam visum est, nemo dubitavit haece verba, quasi vere activa essent, interpretari. In animum igitur induximus, ut haec verba diligentissime examinaremus, qua re etiam appareret, quatenus variae illae interpretationes ad veram deponentium naturam quadrarent. Quamquam bene perspicimus difficillimum esse hoc propositum atque ex aliis permultis quaestionibus nexum. Attamen maioris idem esse videtur momenti magisque ad conandum concitans, quam ut difficultatibus ab eo abhorreamus. Quod verbis illis exquisitis effecisse videmur, id lectori hic mandabimus persuasum habentes multa insuper addenda esse, multa corrigenda. Priusquam vero quid sentiamus nos de verbis latinorum deponentibus proponemus, quam paucissimis poterimus eorum, qui antea hanc eandem quaestionem tractaverunt, opiniones de origine et vi horum verborum praecipuas describere conabimur. Primum tamen nonnulla de appellatione ipsa deponentium praefanda esse arbitramur.

I. De nomine deponentium.

Quod ad appellationem verborum, quae deponentia vocantur, attinet, non putaverim fieri posse eis quidem auxiliis quae nunc habemus, ut indages, quisnam primus hoc nomine usus sit, cum quae grammatici veterrimi de arte grammatica scripserunt, maxima ex parte perierint. —

Vetustissima ars grammatica latina, quae ad nostram aetatem pervenit, est *Terentii Varronis* ”De lingua latina” liber, is vero — id quod valde dolendum est — admodum mutilatus et afflictissima condicione. Nomen *deponens* in his reliquiis non invenimus neque scio, num hoc nomen iam apud Varronem fuisse coniciam. De partibus quidem orationis variisque eas dispertiendi rationibus multum disputat, qua ex descriptione concludere possumus verba artis grammaticae propria iam illa aetate exstitisse plurima, quae a grammaticis posterioribus adoptata esse constat; sed imprimis in formis verborum describendis tantum abhorret a grammaticis posterioris aetatis — et est valde obscura et immatura eius descriptio — ut certi quid vix possimus coniectura assequi. Verborum enim temporalium, quae nominat, quattuor esse partes statuit, *temporum*, *personarum*, *generum*, *divisionum* (IX, 95), atque eorum declinatuum sex esse species, *temporalis*, *personarum*, *rogandi*, *respondendi*, *optandi*, *imperandi* (X, 31); ad quod addit (X, 33): ”Accedunt ad has species a copulis divisionum quadrinis, ab infecti et perfecti; *emo*, *edo*; *emi*, *edi*: a semel et saepius, ut *scribo*, *lego*; *scriptitavi*, *lectitavi*: faciendi et patiendi, ut *uro*, *ungo*; *uror*, *ungor*: a singulari et multitudinis, ut *laudo*, *culpo*; *laudamus*, *culpamus*.” Putaverit forsitan quispiam verba eius de specie faciendi et patiendi ad genera quadrare, sed tenendum est memoria quaestionem hoc loco esse de formis eiusdem verbi singulis, de coniugatione verborum in activa et passiva forma, quare neutiquam ex hac explicatione concludere possumus, eum duo tantummodo genera posuisse neque id e reliquis eius verbis firmari posse certis argumentis crediderim. Neque vero auctores ei proximi quod quaerimus indicant, ne *Quintilianus* quidem, qui permultorum vocabulorum artis grammaticae propriorum mentionem facit. Ille verbis esse *genera* et *qualitates* (sive *modos* sive *status*) et *tempora* et *personas* et *numeros* statuit (de instit. orat. I,4, 27; I, 5,

41) modumque *faciendi* [1]) et *patiendi* bis nominat (I, 6, 26; IX, 3, 7), quot vero genera sint et quibus nominibus appellentur, nusquam commemorat. Nihilominus verisimillimum est iam eius temporibus apte divisa fuisse genera verborum certaque eis imposita nomina, eadem sine dubio, quae postea ab omnibus grammaticis usurpabantur, cum artem grammaticam grammatici tractassent permulti neque vocabulis artis rationibusque distribuendi eisdem fere non uteretur Quintilianus atque grammatici posteriores, quorum libri integri ad nos pervenerunt. Iam vero ad illos grammaticos transeuntes in magnas iterum incurrimus difficultates, dissimiles illas quidem prioribus. Quid scriptum sit, non tam quaeritur quam quis scripserit et quando. Cum igitur quis illorum aetate primus fuerit volumus decidere, in controversias adducimur maximas. Habemus enim adscripto *Probi* nomine libros de arte grammatica, quos nonnulli *Valerio Probo* tribuerunt, quem a *Neronis* fere aetate ad *Domitiani* imperium vitam produxisse constat; alii vero duos eodem nomine posuerunt, unum *Berytium*, alterum quarto post Chr. saeculo viventem, quem auctorem huius grammaticae statuerunt, alii tres Probos grammaticos fuisse existimarunt, alii denique libros Probi nomine inscriptos a compluribus auctoribus esse confectos sunt arbitrati [2]). Uti autem expeditum videtur esse libros

---

[1]) Concluserit quispiam, cum Quintilianus de activis verbis mentiorem faciens haec "verba faciendi", non agendi nominaverit, appellationem *activi* nondum in usu fuisse, nedum alia generum nomina. Legat ille definitionem *Plinii secundi* aequalis *Quintiliani*, quam *Pompejus* servavit: "*activum* est quod alio patiente nos *facimus*, passivum est, quod alio *faciente* nos patimur" (cf. Keilii Grammatici latini V, 227). *Gellius* demum (Noct. Att. XVIII, 12) de verbis *agentibus* et de *agendi* modo seu figura loquitur. Apud eum quaestio etiam est de verbis *communibus* (Noct. Att. XV, 13), quae *grammaticos* ita vocare dicit — vox ergo est artis grammaticae non semel antea bisve usurpatum.

[2]) Cf. praefationem *Henrici Keilii* ad Probi Donati Servii qui feruntur de arte grammatica libros (Grammat. latin. IV) et libellum de Probis grammaticis, quem scripsit Julius *Steup* Jenae 1871.

illos de arte grammatica a Probo Berytio non esse conscriptos, ita plurimi non dubium esse putant, quin eidem quarto saltem post Chr. natum saeculo compositi sint; nec vero qui hanc artem grammaticam, parum limatam illam et subtilem, penitus noverit, suspicari poterit eam fuisse fontem, unde hauserint medii aevi grammatici, Probum illi saepissime testem afferentes. Qua autem condicione grammatica Probi erat, in eadem grammaticae quoque sunt, quae antea vulgo *Palaemoni* et *Aspro* tribuebantur; nam exploratione paullo accuratiore mox apparuit, praeceptores illos *Quintiliani* et *Antonini* philosophi haudquaquam auctores putari posse artium grammaticarum, quae eorum nomine inscriptae ad nostram aetatem sunt servatae, sed auctoribus multo posterioribus eas esse tribuendas [1]). Quae cum ita sint, abicienda nobis est spes, quam nomina virorum illorum attulerint, exempla appellationis deponentium e scriptis aetatis aut aureae aut argenteae esse tradita, satisque habeamus necesse est affirmare quarto saltem saeculo vocabula artis grammaticae propria in civitatem fuisse recepta. Certo enim id confirmatur quae exstat grammatica *Donati*, quae quo anno conscripta sit quamvis accuratissime non possimus decernere, aetatem tamen, qua fuit auctor eius, non ignoramus, id quod debemus *Hieronymo*, qui in chronico *Eusebii* ad annum 355 Donati grammatici mentionem fecit illum magistrum suum et virum Romae insignem nominans. Grammatica Donati summa fuit apud veteres auctoritate eamque multi sunt commentati, sexcenti descripserunt, innumerabiles legerunt. Terebatur enim per totam mediam aetatem in omnibus scholis manu discentium et docentium atque ita in eis regnabat, ut nomen Donati mox idem fere esset atque ipsa ars grammatica. Donati artem in usum tironum conscriptam esse facile quisque videbit, qui vel levissime eam atti-

---

[1]) Vide praefationem *Keilii* (Grammat. latin. V, 525 sq.).

gerit; definitiones artis vocabulorum omnes usui discipulorum respondent, doctrinae saepe male inserviunt. Ex disciplina verborum aliquid hic excerpamus, quod cum specimen sit artis grammaticae mediae aetatis, tum condicionem deponentium in ea ostendit optime: "Verbum quid est? Pars orationis cum tempore et persona sine casu aut agere aliquid aut pati aut neutrum significans. Verbo quot accidunt? Septem. Quae? Qualitas conjugatio genus numerus figura tempus persona. Genera verborum quot sunt? Quinque. Quae? Activa passiva neutra deponentia communia. Activa quae sunt? Quae in *o* desinunt et accepta *r* littera faciunt ex se passiva, ut lego legor. Passiva quae sunt? Quae in *r* desinunt et ea dempta redeunt in activa, ut legor lego. Neutra quae sunt? Quae in *o* desinunt, ut activa, sed accepta *r* littera Latina non sunt, ut sto curro: stor curror non dicimus. Deponentia quae sunt? Quae in *r* desinunt, ut passiva, sed ea dempta latina non sunt, ut luctor loquor. Communia quae sunt? Quae in *r* desinunt ut deponentia, sed in duas formas cadunt, patientis et agentis, ut osculor criminor: dicimus enim osculor te et osculor a te, criminor te et criminor a te" (Grammat. lat. IV, 359, sq.). Deponentia igitur hac in arte inter genera verborum nominantur et a verbis communibus separantur — quam divisionem omnes aetatis mediae retinuerunt grammatici, quin etiam *Melanchton* multique alii recentes artigraphi — sed pro certo habendum illud est, nomen deponens multo prius usurpatum fuisse [1]), ad quod probandum non est parvi momenti, quod ei quoque grammatici, qui Donati aetate paullo tantum inferiores erant, quid hoc nomen significet incerti sunt, neque commentatores Donati usquam indicant eum primum hoc no-

---

[1]) Apud *Ekium* in eius libello de Verbis deponentibus (p. 5) legimus: "a veteribus ne verbum quidem de deponentibus factum esse atque vix ante tempora Prisciani nomen auditum"; qua vero fide id statuerit, non iam opus est memorare.

mine usum esse, immo vero semper hanc appellationem quasi vetus aliquid interpretantur. Varias illas discrepantesque opiniones, quaenam notio nomini deponentium insit, breviter modo strictimque attingemus, quae quidem non multum ad naturam deponentium rectius cognoscendam conferant, attamen saepe nobis declarent, quid grammatici de origine horum verborum iudicarint.

Grammatici latini cum omnino in origine et vi verborum enodanda sagaces subtilesque non fuerint[1]), tum in significatione nominis deponentium declaranda miris sane saepius utebantur interpretandi rationibus. Multi enim eique antiquiores (*Maximus Victorinus*, *Charisius*, *Diomedes* alii) per antiphrasin deponens explanarunt, qua de re *Pompeium* grammaticum loquentem introducamus: "Invenimus in artibus istis vulgaribus ideo dicta esse verba deponentia, quoniam *r* litteram non deponunt, *κατὰ ἀντίφρασιν* quod dicitur, id est e contrario, quem ad modum dicimus lucum ab eo, quod non luceat, quem ad modum Parcas dicimus ab eo, quod non parcant; ideo dicimus et deponens verbum quia *r* litteram non deponat" (Grammat. lat. V, 228). Quo de judicio: "Falsissimum, inquit, est. Qua ratione? Si enim ideo dicitur deponens verbum, quia *r* litteram non deponit, incipit et commune deponens esse. Nam communia verba *r* numquam deponunt." Pompeius vero notionem deponentis involutam sese aperuisse sibi persuasit confidenter dicens: "Quare ergo dicitur verbum deponens? Quoniam deponit participium futuri temporis, quod in *dus* exit." Uti autem interpretatio eius vix melior est quam

---

[1]) Ex magno exemplorum numero hic duo commemorare lubet a nostro proposito non longe remota, coniecturam dico iam a *Quintiliano* memoratam (I, 6, 34), postea ab omnibus fere grammaticis veteribus probatam, "verbum a verberato aere dictum esse", et sententiam *Isidori Hispalensis* de generum appellatione, quippe qui dicat: "genera verborum inde dicta sunt, quia gignunt. Nam activo adjicis *r*, et gignit passivum: rursum passivo adimis *r*, et parit activum" (Originum libr. I cap. VIII).

eorum, quibus adversatur, ita etiam infirmioribus, quoad eius fieri potest, in sua sententia tuenda utitur argumentis. Negare enim non potest deponentia quoque interdum participium in *dus* exiens habere, quae res tamen minime eum angit, nam satisfacere sibi et omnibus lectoribus se posse putat declarans, talia verba eiusmodi locis esse communia. Neque vero Pompeio uni haec placuit interpretatio, verum etiam alii ut *Cledonius*, *Isidorus*, *Augustinus* eandem probant sententiam. *Priscianus* dubius est, "utrum eam ob caussam verbum deponens vocetur, quod quasi simplex et absoluta per se ponatur, quomodo positivus gradus dicatur, qui absolutus per se ponatur non egens alterius conjunctione, an quod deponat alteram significationem et unam per se teneat" (Grammat. lat. II, 374). Etiam *Sergius* pro certo habet "verba deponentia dici, quod ex gemina significatione unam deponant, id est passivam" (Grammat. lat. IV, 507). Eadem in opinione omnes fere sunt recentioris aetatis grammatici, neque est, cur non ego huic sententiae ut sanissimae et verisimillimae assentior, quamquam negare non possum fieri etiam potuisse, quod contenderunt nonnulli [1]), ut deponentia vocarentur, quod formam activam deposuerint.

II. Quid alii de verbis deponentibus iudicarint exponitur.

Natura deponentium propria ac singularis quamquam neminem fugere potest, qui quamvis leviter litteras latinas attigerit, longum tamen tempus est praeterlapsum, priusquam eam detegere et illustrare conaretur quisquam. Neque vero fieri potuit, ut grammaticis veteribus id contingeret, quippe qui saepius habitum linguae solum et speciem observarent neque ad leges natura insitas et ratio-

[1]) Vide *Ekium* "de verbis deponentibus Latinorum" (p. 6).

nem omnium gubernatricem referre unumquodque studerent. Quare etiam definitiones definiendarum rerum potissimum externas notas aut omnino aut praecipue complectuntur, ut "activa sunt, quae in *o* desinunt et accepta *r* littera faciunt ex se passiva" et quae sequuntur (cf. p. 8). Neque ita mirandum est grammaticos originem nominis deponentium enodare conantes ad externas res, ad formas dico verborum, animum advertisse. Quid multa? Quamdiu origo huius appellationis maxime in eo investigabatur, quod verba illa unam vel alteram formam deposuissent aut non deposuissent, tam diu vix sperandum erat fore, ut origo ipsorum deponentium exquireretur, nedum inveniretur. Cum vero id agere coepissent homines docti, ut veram deponentium naturam indagarent et cognoscerent, aliter fieri non potuit quam ut formam deponentium cum passivo compararent transitivorum verborum, unde facile ad eam opinionem sunt adducti, deponentibus quoque principio vim fuisse patiendi. Nonnulli revera in gravi illo labore desudarunt, ut deponentium cuique patiendi significationem accommodarent. Primo minus id molestum erat, dum quod ad explicandum difficilius videretur per ellipsin vel figuram licitum erat explanare, verum cum haec interpretandi ratio auctoritatem perdidisset suam, deponentia in classes digeri coepta sunt, in quas verba, ad quae vis patiendi non apte conveniret, accommodatioribus verbis interposita clam se insinuarent. Quamdiu enim quae patiendi notio formae passivae suberat aetate linguae adulta indagatoribus erat et initium et finis, quo omnia deponentia referre conarentur, ne vehementissimae quidem ingenii contentiones ad omnem difficultatem vincendam suffecerunt.

Primus igitur, quem quidem ego cognovi, qui operam navavit, ut propriam deponentium naturam perscrutaretur, litterisque mandavit quid invenisset indagando, homo fuit Batavus *Jacobus Perizonius.* Ille primum anno 1687 *Fr. Sanctii Minervam* copiosis suis commentariis instructam

edidit posteaque duas multo correctiores atque emendatiores editiones eiusdem libri curavit faciendas. — Quo mortuo saepius hic liber typis exscriptus est, quin etiam a *C. R. Bauero* insuper auctus adnotationibus. — Commentaria Perizonii sententiis abundant magnificis eximium ingenium doctrinamque maximam testantibus et in eis de verbis deponentibus quoque multa acute disputantur; quid quod prorsus recte judicat Perizonius, "quando de natura verborum agatur, non adeo spectandam esse vulgarem eorum, et posterioris quidem temporis significationem, quam primam originem" [1]). Multa quidem singula verba ad hanc rationem accommodat, sed in forma passiva diiudicanda ei non contigit, ut quod verum agnovisset persequeretur, quando temporibus eius nondum erat ita tractata ars grammatica proprietatesque complurium linguarum nondum adeo cognitae, ut prima illa origo omnino posset investigari. Quatenus tamen quaestionem quae est de vi et natura deponentium persolvere potuerit, nonnulla e descriptione eius excerpta doceant. Dicit enim: "ego vix dubitem deponentia primitivo usu et significatione, sed quae nunc nobis maximam partem lateat, fuisse vere passiva. Quin ipsa id declarat appellatio deponentium. Nam quid deposuisse dicuntur, nisi significationem passivam, quam ergo antea habuerunt? Sed et duae hae terminationes in *o* et *or* videntur omnino duplici verborum naturae ex primo instituto constanter et proprie respondisse. Quod autem posteriorum temporum usus immane quantum in nonnullis a primitiva eorum significatione et constructione recessit, id vero accidit etiam quam plurimis in aliis; adeo, ut propria et prima vocum significatio saepe prorsus sit per recentiorem obliterata, et constructioni etiam propriae successerit dein plane figurata, perpetuo sui usu speciem propriae et

---

[1]) Verba Perizonii exstant in commentariis ad librum Minervae tertium (imprimis ad capita ejusdem libri II et III) additis.

nativae praeferens. Immo vero dum posteriores saepe tantum attenderunt usui vocabulorum, qui suo tempore obtinebat, neque perspexerunt aut indagaverunt semper nativam eorum significationem, saepe illi, prout phrases parum grammatice interpretabantur, etiam longius errando processerunt et eam verbis dedere constructionem, quae neutiquam cum primitiva conveniret et eorum significationem etiam aliquantulum inverteret." — "Jam vero sic quoque deponentia, licet primitus haud dubie fuerint passiva, pleraque nunc praeferunt significationem activam, propter frequentem olim usum figuratae locutionis, quae accusativum addit passivis, sed quam, ut propriam et tamquam a verbo vere activae significationis rectam, acceperunt tandem nonnulli, et ita deinceps adhibuerunt eam posteriores tam frequenter, ut in plerisque locis non amplius possit nunc figurate exponi." — "Sic putem, *vereor* proprie nihil fuisse aliud, quam, pudore et metu afficior, in metu et verecundia sum; atque adeo esse passivum vere, sive dicam, *vereor te*, h. e. propter te, sive, *vereor abs te*, h. e. in metu sum mali abs te, sive, *vereor tibi*." — "Porro, *sequor aliquem*, a *secus*, idem esse arbitrer, quod, jungor alicui pone tergum. Ex activis quoque formata similiter sunt passiva seu deponentia, significatione quidem adeo mutata, ut prorsus videatur ab illa activorum esse diversa." — Exempla affert *operiri* et *morari*, quae tamen longius exponit quam ut hic describi possint. — "Multa vero verba etiam sunt, quae rei mutuae habent significationem, et ideo in passivo potissimum adhibentur, sed figurate cum accusativo. Talia sunt *amplecti, complecti, osculari, suaviari, pacisci*, etc., quae vere item, non deponentia, sed passiva sunt, et, quia rem mutuae actionis notant, magis adhibita reperiuntur, quam eorum activa. Sed et quamplurima sunt passiva, quae dicuntur *deponentia*, quae passivam nunc videntur habere significationem per caussam morae, qua detinent se vel versantur homines in ea actione. Huc refero *augurari, auspicari*,

aucupari, *assentiri*, *comitari*, *contemplari*, *lachrymari*, *medicari*, *meditari*, *venerari*, h. e. in augurando, auspicando, etc. occupari et versari. Quae forsan origo etiam fuit vel ratio verborum plerorumque, quae in utraque terminatione *o* et *or* idem videntur notare; id quod clarius haud dubie probari posset, si omnium originem ac primitivam significationem haberemus exploratam." — "Neque tamen existimo, omnia omnino deponentia habuisse olim sua activa in *o* exeuntia, et fuisse primitus passivae prorsus significationis. Nec enim dubito, quin multa ejus generis serius sint formata ad exemplum et instar aliorum, deponentium speciem et usum jam habentium, atque ideo statim tum acceperint constructionem et significationem, qualem illa priora jam habebant, vel habere credebantur. Talia, putem, fuisse multa, ex iis maxime, quae ab nominibus sunt formata, et neutrali adhibentur significatione: Veluti, *adminiculor*, *calumnior*, *hariolor*, *morigeror*, etc." — Denique de notione reflexiva nonnullorum deponentium mentionem facit exemplum proferens: "*Deos facinora sua aversari*, sicuti editur, est idem, quod, Deos se avertere, seu averti, ad conspectum suorum facinorum"; ad quod adiungit: "haec haud dubie praecipua est origo verborum, quae *deponentia* appellantur, quaeque olim vera fuerunt passiva. Nam, quoniam illa passiva idem prorsus significabant, quod activa tunc, quum ea reciprocum pronomen quidem requirunt, sed perpetua paene ellipsi omittunt, et ideo neutrorum speciem praeferunt, hinc casu (nam casus in formandis locutionibus vel maxime valet) saepe factum, ut illa activa in desuetudinem abierint, et sola eorum passiva in usu manserint, atque ita tandem pro deponentibus passivam significationem jam habeantur(!) Patet id imprimis ex verbo *vertere*, et derivatis inde."

Ex eis quae attuli constat Perizonium de multis rebus prorsus recte judicasse, attamen certum quoddam et firmum fundamentum, quo rationem et disciplinam depo-

nentium constitueret, non invenisse. Semper enim dubius est, utrum hic an illic quaerendus sit fons, unde omnia emanent, vel finis, quo retro fluant. Neque vero ipse ignoravit caussam omnium primam, quae impediret, quominus originem et nexum deponentium intueretur, quippe qui "exploratam non haberet originem et significationem omnium primitivam." Et revera exceptis adnotationibus nonnullis valde subtilibus in vi singulorum verborum indaganda non prospere ei successit. Recorderis modo, ut alia multa missa faciam exempla, definitionem vocis *sequor!* Quid est enim e magno deponentium numero, quod non ita passive verti possit? Latet eum etiam vera significationis activae et neutralis inter se ratio, quare ellipsin ubicunque statuit; quid quod errori populi et scriptorum non dubitat varii generis mutationes tribuere. Sed quamvis hoc ita esset, tamen felicius paene evenit periculum eius vim deponentium declarandi, quam pro condicione eius aetati exspectari posset; neque qui ei proximi verbis hisce examinandis operam impenderunt, novi quidquam, quod verum esset, proferre potuerunt, immo vero multo vitiosiora magisque manca conscripserunt. Secundus ab eo, qui naturam deponentium evolvere conatus est, *Ursinus* fuit, cuius ars grammatica a. 1701 in lucem prodiit hoc indice magnifico inscripta: "Institutiones plenissimae, quibus linguae latinae et praecepta vernacula solide tractantur et caussae notis additis accurate eruuntur vel examinantur", qua in arte (sect. V, cap. II) Perizonio adversatur doctrinamque eius de verbis deponentibus reicere conatur, verum argumenta ipsius infirmiora sunt quam ut hic multa verba de eo periculo effunderemus necesse esset. In posterioribus Minervae editionibus Perizonius ipse quod Ursinus reprehenderat rite refutat sententiasque eius inter se discrepantes aperit. Satis habemus ex Ursini adumbratione tantum modo adnotare, eum fontem verborum deponentium nec minus communium imprimis in Graecorum imita-

tione quaesivisse; de qua sententia Perizonius recte iudicat: "nulla in re magis quam in verborum conjugationibus recesserunt a Graecis Latini: ut adeo neque inde multum elici queat."

Uno fere saeculo posthac praeterito denuo eandem quaestionem uberius tractare sibi proposuit *Kistemakerus*, qui libellum, quem inscripserat "De origine ac vi verborum, ut vocant, deponentium et mediorum graecae linguae, praesertim latinae", a. 1787 Monasterii Vestphaliae emisit. Perizonii interpretationem sibi minus ait probari (p. 38) "eumque putat fines sibi nimis angustos constituisse, dum sola reciprocationis ratione deponentium naturam contineri velit (sic enim miro modo Perizonium interpretabatur) et ideo expositionem imperfectam et mutilam protulisse, multis difficultatibus implicitam, quibus eam expedire nullis interpretamentis posse" (p. 16). Kistemakero vero omnes fines molesti videntur esse, quare eos paene in infinitum dilatavit; cui rei probandae nonnulla exempla sufficiant. Ait enim ille: "quum mente nostra sive intellectu aliquid minus cognoscimus, aut minus attente et definite de quadam re statuimus et judicamus; illud omnes verae et integrae actionis numeros non habent, sed inter agere et pati medium quendam tenent locum. Quapropter et hoc ipsum non incongrue deponente verborum forma a Latinis Graecisque designatum fuit. Itaque dicunt *suspicari*, *opinari*, *arbitrari*, *augurari*, *ratus sum*, quae verba minus certi quid et deliberati indicant, quam activa *judicare*, *aestimare*, *scire*, *cognoscere*" (p. 7). — "Dein quaecunque in universum hominis actiones aliquid minus deliberati, attenti, aut nimium fervidi, effusi, repentini habent, ut homo minus sui compos videri possit, hae verbis deponente forma indutis plerumque pronunciantur. Ita *lacrymari* proprie est *effuse fiere*, *largiri* est *abunde nimis donare*, *vociferari vehementius clamare*, *cachinnari effuse ridere*, *nancisci forte fortuna invenire* aut *parare*, *loqui* est *quomodocunque verba facere*.

Porro *fari* dicitur is, qui primum homo significabilem vocem ore emittit. *Ulcisci* vehementius est quam vindicare, *aspernari* vehementius quam spernere" (p. 8). — "*Vagari* ut et *palari* est *levi animo nulloque consilio passim errare. Labi* est *sensim et leniter cadere, labare* vero *vehementer et magno impetu cadere*" (p. 9). — "In deponentium quoque numerum referri ea verba possunt, quae actionem non tam sponte nostra, quam alterius ductu et impulsu coeptam, eoque passioni aliquatenus affinem significant. Hujus generis sunt *sequor*, *imitor*, *comitor*, *opitulor*, *assentior*, *auxilior*, *adulor*, *suffragor*, *fungor*, *morigeror*" et quae sequuntur (p. 10).

Facile est hunc deponentium indicem amplificare, sed ex eis quae attuli exemplis iam constare puto Kistemakerum via usum esse litteris non satis congruente, quae quidem "difficultatibus non conflictatur" (p. 16), quippe quae tot partes ad arbitrium fere constitutas amplectatur, quot verba cuiusvis significationis capiant necesse sit, sed perincommode accidit, ut merita non sint dificultatibus maiora.

Magis ad rationem revocata est tractatio deponentium, quae exstat in libello "de verbis Latinorum deponentibus" Lipsiae a. 1830 emisso, in quo clarissimus ille grammaticus *Ludov. Ramshornius* latius uberiusque explicat sententiam de verbis deponentibus in grammatica sua iam antea propositam, quamquam confitendum est, ne eum quidem quod sibi proposuerat explanare potuisse. — Ordo quem in disquisitione sua secutus est, quidque de verborum natura iudicet quo melius appareat, eius verba lectori mando: "quum numquam aut passiva forma significationem habere possit vere activam, aut activa significatio eiusdem verbi cum passiva ita, ut non forma simul mutetur, permutari: tota haec quaestio in eo versabitur, primum ut videamus, quae verba activa passivam formam capiant, quae non; deinde cui passivorum verborum generi activa

significatio, et qua ratione possit accommodari; unde postremo apparebit, qui factum sit, ut verba quaedam passivae formae tamen cum significatione ac potestate activa activorum verborum naturam induisse videantur" (p. 11). — Illa quidem argumenti distributio nobis spem inicere potest eum solidam et expressam affinitatis passivorum et deponentium efficturum esse imaginem, sed quae sequitur demonstratio iam ostendit eiusmodi spem nos frustratam esse. — Prima pars, quamvis aliis sit amplior, memorabile aliquid vix continet, nisi rationem disputandi quandam nimia arte factam, at in altera parte observationes inveniuntur nonnullae, quarum mentionem facere hic conveniat. Primum recte disserit, "verba passiva, quorum significatione res subiecta suis viribus moveri aut affici dicantur, active parvo discrimine sensus vires agentis in semet ipsum convertere, itaque *vincire* corona (Claud. 10, 336), *fingi* (ibid. 322) idem fere esse ac *vinci te*, *fingere se*" (pp. 19, 20), sed prorsus inanis vox eius est, "*vincire* elegantius esse atque urbanius, *fingi* ad speciem magis praesentiumque iudicium conferri." Cum illis exemplis comparat verba *Curtii:* Dymnus gladio graviter *se vulnerat* (Curt. 6, 7, 29) adnotans hoc in exemplo agentis potius quam patientis habendam esse rationem. Tum pergit: "eodem discrimine de sensu interno et animi perturbationibus dicitur: Ut ipsus *sese cruciat* aegritudine (Plaut. Bacch. 3, 3, 89), An cuiquam est usus homini, *se* ut *cruciet* (Ter. Heaut. 1, 1, 29); Tuae libidines te torquent: tu dies noctesque *cruciaris* (C. Parad. 2); ille enim libenter et cupide aegritudini indulget; hic perturbationibus extrinsecus quasi contra voluntatem suam agitatur." Observat deinde "praeter has binas formas atque significationes quaedam verba tertiam habere intransitivam, omisso pronomine, qua actio per se eiusque effectus modo describatur" (p. 20). Ex exemplis eius nonnulla afferamus: "Uva *variatur*, i. e. mutato colore conspicitur; uva *variat se*, i. e. suum colorem mutat; uva *variat*, i. e. mutato colore con-

spicua est." — "Socrates *meruit*, ut praemiis donaretur, dicimus, quatenus a Socrate ipso actionis caussam repetimus: Socrates *meritus est*, quatenus eum tali honore dignum iudicatum esse cogitamus. Eadem ratione differunt *munero*, i. e. munero afficio aliquem, et *muneror*, i. e. munificus s. largitor appareo" (p. 21). — Denique verba passiva cum activorum significatione paene congruere existimat, "quando dativi commodi nota utrisque communis sit" exempla afferens: "*Punio sontem* est, poenas ab eo repeto, eoque sensu passive dicetur: *sons punitur* a me. Contra, dum *eum mihi punio*, i. e. eo puniendo cupiditatem meam expleo mihique satisfacio, eodem ipso actu *ego punior*, i. e. mihi satis fit. — *Opsono* est cibos emo. Contra, *mihi opsono* idem fere est atque *opsonor*, i. e. opsoniorum copia instruor, unde pro epulari dicitur" (p. 22). — Postremum de accusativo graeco more imprimis a poetis adhibito mentionem facit et cum eo confert accusativum verbis *utor*, *fruor*, *fungor*, *potior*, *vescor* interdum atque multis aliis deponentibus semper adiunctum addita interpretatione, quae quam arguta sit alii viderint. Ait enim: "cuius consuetudinis ratio causaque primum inde repetenda esse videtur, quod in hoc Verborum genere non Modus erat definiendus, quem Ablativus significat, sed ipsa res aut persona actioni proxime obiecta; deinde quod haec verba et natura sua et specie passiva illa quidem, sed tamen ita comparata sunt, ut in iis simul Participium Activum, ex quo Accusativus illa pendeat, latere et intelligi posse videatur. Atque rem ita se habere, pauca exempla demonstrabunt. Dum *osculor aliquem*, et alterius ore tangor et ipse oscula figo; dum *adminiculor aliquem*, et alterius onere premor spectantis ratione habita, et ipse agens onus alterius sustineo; dum *consolor aliquem*, et consolator appareo, et alterius aegritudinem levo" (p. 23). — His propositis satis se iam declarasse putat, quare "deponentia verba nomine tantum ac specie, non re vera atque natura sua a passivis diversa

esse iudicentur", et postea deponentia in sex classes inculcat quodammodo et astringit, "quo magis doctis hominibus atque intelligentibus, quod proposuerit, probetur." Ut vero priora vix erant idonea, quae lectoribus persuaderent, sic in insequentibus tam alienus est ab argumentatione probabili, ut potius quae illustrare enucleatius vult, ea videatur mihi perturbare. Cui quidem rei probandae brevis conspectus sufficiat.

Prima in classe se ea positurum pollicetur deponentia, "quorum significatio ad passivorum similitudinem proxime accedat, et quae rem sive alienis sive suis viribus moveri atque affici indicent", sed verba in numerum relata undique promiscue coacta sunt. Hic enim enumerat (p. 24): *morior* (a mordere, *morden!*) morte afficior, *vescor*, *pascor*, escis, pabulo impleor, *fungor* in munere occupor, *utor*, *fruor*, usu, fructu alicujus rei juvor, *labor*, lapsu feror, *nitor*, fulcior, *ringor* rictu extendor, *fateor* me aperio, *polliceor*, promissione obstringor; *potior*, *blandior*, *experior*, potis, blandus, peritus fio, et quae sequuntur. Quasi vero non omnia deponentia ita passive circumscribi potuerint! — Secundum locum tenent verba *mutuae actionis* quae vocat, ut *osculor*, *amplector*, *amplexor*, tertium locum ea, "quae effectum significent ex vehementi quodam animi metu ac perturbatione ortum, ut res vel contra voluntatem vi quadam intrinsecus impelli videatur", quo refert *cachinnari*, *bacchari*, *comissari*, *irasci*, *lamentari* immo vero *pigrari*, *ructari*, *ruminari* (inventum sane antea inauditum!). — Quartam classem ita definit: "Hoc genus excipiant ea Verba, quae quia magis in re quod fieret et quomodo id aliorum sensibus perciperetur, quam quod res ageret, antiquis, longe acutioribus, quam nos, sensibus et evidentia imaginum concipiendarum praeditis significare debebant, ab effectu potius formam, quam ab efficiente assumserunt." Quae definitio abstrusa captiosaque variis verbis patefacit aditum, ut *imitor*, *iaculor*, *loquor*, *precor*, *que-*

ror, *hortor*, *minor*, *exsecror*, *nugor*, *cornicor*, *hospitor*, *cauponor*, *vaticinor*, *calumnior*, *speculor*, *sequor*, *molior*. Qualis vero definitio, talis eius explanatio. Cum enim ille disputat: "ego te ferro *iaculabor* acuto; fistula *eiaculatur* aquas. Telum prosiliens cernitur, et aqua prorumpens, non iaculator vires intendens aut fistula eiectans; itaque dum telum e manu mea mittitur, ego *iaculor*, iactu exoneror, et dum aqua e fistula effunditur, fistula ipsa *eiaculatur*, effunditur", — quis erit, qui in his acquiescere possit? — Quinta in classe omnia ponit inchoativa, quae quam variae sint notionis neminem fugere potest. Ille vero ea omnia significare vult "statum orientem aut etiam ad eventum spectantem, quatenus res sive vere affici, sive e spectantis persona dicatur." — Postrema est verborum deponentium species (verbis Ramshornii utor), qua dum res aliqua mihi, i. e. meo commodo efficitur, eo effectu me affici dico. Haec definitio praeclara quidem videtur, neque primum quod affert exemplum, "*nidulor*, nidum mihi facio s. nidus mihi fit", eam obscuriorem facit, sed exempla sequentia, ut *ordior*, *auctionor*, *gratificor* eandem verborum confusionem et perturbationem, quam antea iam invenimus, in hac quoque classe efficiunt.

Satis iam superque constat periculum Ramshornii non prospere cecidisse neque eum ea quam ingressus erat via naturam deponentium explanare potuisse. Quod cum apertissime appareret eis, qui postea de verbis deponentibus disputaverunt, aliam ipsi anquirendam esse viam videntur esse arbitrati. Iam vero Perizonius vim reflexivam, vel quam ille aliique multi nominabant reciprocam, permultis deponentibus esse propriam acute observaverat, quae res ei suspicionem movit "hanc haud dubie praecipuam esse originem deponentium" (v. p. 14). Quam sententiam quamvis alii, quorum iam mentionem fecimus, non probarent, nonnullis deponentibus significationem subesse reflexivam negare non potuerunt, ne Ramshornius quidem, qui vix su-

spicari videtur linguis quoque educationem quandam esse multaque verba adulta aliam habere vim quam quae crescentibus ipsis erat. Nihilominus magis magisque persuaderi coeptum est perscrutatoribus notionem reflexivam revera originem esse et fontem, unde explanatio naturae deponentium esset incipienda; quomodo autem id probaretur, non potuit fieri, quin quaereretur. Primo ad verba Graecorum media confugitum est — quid enim propius fuit? — eaque testes sunt producta, quae testimonium quasi dicecerent, "quemadmodum in lingua graeca significatio patiendi a notione reflexiva nata esset, ita e contrario — mira sane est ratiocinatio — in lingua latina vim patiendi formae passivae propriam a se peperisse notionem reflexivam." Quae iudicandi ratio placuit *C. L. Grotefendio*, qui anno 1833 in commentariolo quodam quaestionem de deponentium natura et vi brevi tractavit [1]). Proxime ad eum accedit *C. F. A. Nobbius*, qui de eadem quaestione uberius accuratiusque disseruit [2]). Ait ille: "Ego vero, qui de verbis deponentibus dicere propositum habeo, tantum abest, ut eorum ipsam terminationem ex graeco sermone sumptum esse judicem, ut satis habeam ostendere, Latinos, sive quod sua ratione ducerentur, sive quod Graecorum exemplum sequerentur, antiquissimis jam temporibus passivo suo tamquam medio h. e. sic usos esse, cum eo ut non modo vim reflexivam, verum saepe etiam activi casum conjungerent. Trecentis enim fere ante Romam conditam annis quum Graeci in Italiam inferiorem deduxissent colonias: fieri non potuit, quin Itali, et in his etiam Latini per mutuum commerciorum communemque sermonum usum multa

---

[1]) Exstat disquisitio ejus in "Allgemeine Encyclopädie von Ersch und Gruber" vol. XXIV.

[2]) Quaestiones grammaticae latinae cum programmate, quo ad orationes discipulorum scholae Nicolaitanae valedicentium audiendas patronos fautores amicos rite invitat C. F. A. Nobbius, Lipsiae 1839.

graeco more non modo instituerent et agerent, sed etiam cogitare et loqui inciperent. Jam etsi non eamdem verbi passivi et medii formam admitterent, tamen haud scio, an inter priscos Italiae incolas illis temporibus, cogitationis usu poscente, natum sit desiderium trinorum verbi generum. Quoniam vero primum passivo verbum reflexivum vi et natura proximum est, ut *laetor* i. e. laetus ab aliis reddor, et ipse me exhilaro, passivum etiam in medii generis consuetudinem abiit. Ad hunc usum reliquae apud Latinos accesserunt, quae sunt verbi Graecorum medii, significationes, et quae his exprimendis inserviunt structurae, ad activi potius, quam ad passivi rationem et naturam aptiores" (pp. 3, 4). — "Itaque primum illud est verum, esse duo verbi genera, quae sola passivi forma designentur, passivum et medium, vulgo deponens dici solitum. Hoc medium, quod veteres quidem grammatici activum appellant, ab activi significatione nihil differre, per se non est credibile. Immo ipsa forma, quam deponens cum passivo communem habet, facit etiam, ut ejus significatio aliquid cum passivo commune habere videatur: quod cujusmodi sit, ex eis, quae supra disputavi, clarum esse arbitror. Deponentibus enim inhaeret ex mea quidem sententia verbi Graecorum medii vis. Jam quorum verborum deponentium passiva significatio non deponitur, eorum etiam activi notio animum subire solet, quotiescunque passiva vis cogitanda est. Correlativa enim videntur esse activum et passivum. Quo fit, ut etiamsi illorum deponentium forma activa non est superstes, ejus tamen vestigium aliquod in passivi usu expressum esse videatur" (p. 5).

Longius quam *Grotefendius* progressus erat *Nobbius*. Ille enim modo statuerat significationes deponentium Latinorum cum significationibus verborum Graecorum mediorum convenire, hic vero similitudinem illam ab eadem origine profectam esse contendit; quam sententiam iam antea habuerat *Ursinus* (v. p. 15 sq.). Quae quidem opinio,

proprietates linguarum mercem quandam esse, quae "per mutuum commerciorum usum" quodammodo ex altera lingua in alteram transferantur, acuta et subtilis non erat, attamen valde accommodata ad notiones plerorumque deponentium declarandas, praesertim cum non singula verba graeca et latina compararentur. Ita enim quae deponentia reflexivam significationem non habebant declarari potuerunt quasi aliquid rei subiectae commodi aut studii caussa factum significantia, ut "*lucror* mihi, *depraedor* mea caussa s. mei commodi gratia, *pabulor* meo studio vel commodo adductus, *lamentor* meo dolore impulsus" [1]), neque ita mirum videri potuit deponentia cum accusativo coniungi. Verum etiamsi hac via difficultates in notione deponentium interpretanda magna ex parte erant expedita, levior tamen fuit summa eiusmodi iudicii atque magis ex errorum radicibus orta, quam ut adversus scientiam accuratiorem valere posset. Ad nihilum igitur brevi recidit.

In Germania interea a multis approbari coepta est nova quam *Boppius* proposuerat de passivorum exitu doctrina, quae etiam ad deponentia recte diiudicanda maximi erat momenti. Fecit enim acutissimus ille illustrissimusque linguarum investigator iam anno 1820 in "Annals of Oriental Literature" [2]) coniecturam subtilibusque comprobavit rationibus, terminationem formae passivae *r* e pronomine reflexivo *se* esse deducendam, quam sententiam alii, qui linguis comparandis operam navarunt, ut *Pottius*, *Schleicherus*, *Corssenus*, secuti novis argumentis certissimisque probaverunt, ut nobis persuasissimum esse debeat rem ita se habere revera. Summam harum inquisitionum infra proferemus hic rem modo commemorasse satis habentes. Origo passivi ita detecta maximo fuit usui illis quoque, qui in veram deponentium naturam inquirerent. Iam

---

1) Nobbe, Quaest. grammat. p. 4.

2) V. "Vergleichende Grammatik von Fr. Bopp." T. II, p. 322.

enim qualis erat notionis reflexivae et patiendi recta inter se ratio in promptu fuit, cum quidem quod consequens prius positum erat, antecedens esse clare appareret. Quam ob rem ex lingua latina ipsa intellegi potuit, unde effectum esset, ut vis reflexiva multis deponentibus inesse videretur, nec iam cuiquam in mentem venit fontem eius rei a Graecis quaerere. Anno 1833 *A. Grotefendius* in grammatica latina in usum scholarum edita de passivi vera origine brevi mentionem fecit, anno sequente *G. Billrothius* eam paullo latius explicavit, anno demum 1838 *W. Weissenbornius* deponentium disciplinam hoc fundamento ad artem revocare conatus est. Ex adumbratione [1]) eius e re erit pauca hic afferre. Primum rationem notionis activae et reflexivae ita explicat: "In Activ erscheint das Subject thätig, in Reflexiv thätig, aber durch seine eigene Thätigkeit leidend. Diese Zurückwirkung auf das thätige Subject wird durch das *Pronomen reflexivum se* bezeichnet. Da aber die Person, die thätig ist, schon in der Personalendung des Verbums angezeigt ist, so bedarf es, um ihre Thätigkeit als auf sich zurückwirkend (reflexiv) darzustellen, nur die Anfügung jenes pronomens." Deinde de vi patiendi iudicat: "Die ursprüngliche Bedeutung der Form *or* ist also die reflexive, wo das Subject selbst an sich eine Thätigkeit ausübt, und die Thätigkeit über dasselbe nicht hinausgeht. Allein eine Thätigkeit kann auch an einen Gegenstand gelangen und ihn zum leidenden machen, ohne dass sie von ihm selbst ausgeht. Da in diesem Falle, wie im ersteren, die Wirkung der Thätigkeit auf den Gegenstand sich beschränkt und ihn zum leidenden macht, so wurde zur Bezeichnung dieselbe Form mit *r* gewählt; welches um so leichter geschah, da, wenn das thätige Subject nicht beachtet wird, der die Thätigkeit auf-

---

[1]) Exstat ea in grammatica ejus, quae inscripta est "Lateinische Schulgrammatik", §§ 137—139.

nehmende Gegenstand sie auch auszuüben scheint." — In quibus quamvis illi assentiamur, possumus tamen iam suspicari illum quomodo notio formae passivae explicata sit non plene perspexisse. Id magis etiam comprobatur quae sequitur descriptione: "Die reflexive Thätigkeit kann, wenn sie an sich transitiv ist, zugleich auf ein ausser dem Subject liegendes Object sich erstrecken, an dem die Thätigkeit ausgeübt wird, z. B. *miror*, ich wundere mich, und *miratur solem*, er bewundert die Sonne. Wird in diesem Falle mehr das Object, an dem die Thätigkeit ausgeübt, das zum leidenden gemacht wird, als das thätige Subject beachtet, so wird die Bedeutung passiv, aber die Form mit *r* wird unverändert beibehalten und *sol admiratur* kann heissen: die Sonne wird bewundert. Ist aber neben der Form mit *or* auch die mit *o* gebräuchlich, so kann die passive Bedeutung von dieser abgeleitet werden." — Denique quod deponentia secundum eorum significationem in classes distribuit, ratio eius distribuendi tam confusa est verbaque in singulas classes relata tam ex arbitrio collecta, ut pro certo habere liceat non satis ei constitisse, quid sibi vellent "proprie reflexiva", quae vocat, neque quomodo inter se nexa essent et apta deponentia omnia; quid quod saepissime miro interpretandi modo utitur, ut e deponentibus vim reflexivam eliciat. Longum est neque ad nostrum propositum necessarium totam eius dispositionem describere. Satis enim num recte iudicarim iam apparebit, si prima verba classis primae examinaveris. Ad eam deponentia proprie reflexiva pertinere statuit Weissenbornius eoque haec refert: "*apricor*, sich sonnen, *adulor*, schmeichelnd sich anschmiegen, *blandiri*, sich anschmeicheln, *circulor*, sich einen Kreis bilden, *conor*, sich erkühnen, *cunctor*, sich unentschlüssig benehmen, *expergiscor*, sich ermuntern, *fari*, sich deutlich machen, *fateri*, sich bekennen, *fluctuari*, sich herum treiben, *frui*, geniessen (!), *fungi*, sich beschäftigen, *gesticulor*, sich gebehrden" et quae sequuntur.

Si omnia illa deponentia sunt *vere reflexiva*, quid tandem proderit deponentia in classes distribuere? Quod enim deponens sic non potest reflexive verti?

Post Weissenbornium multi grammatici in transitu verba deponentia perstrinxerunt vim reflexivam eis attribuentes, quos tamen missos faciamus, cum omnes omnium commentationes adumbrari haec nostra quaestio non iubeat. Unus vero praeterea est commemorandus et is quidem multorum ex sententia optimus eorum, qui quaestionem deponentium tractaverunt [1]). Est ille *Th. Noeltingius*, qui in libello, quem inscripsit "Ueber das lateinische Deponens" (Wismariae 1859) sententiam quam iam habuit Boppius de terminatione passivi in deponentia latina accommodare conatus est. Qua quidem sententia relata et nonnullorum grammaticorum tractatione deponentium recensita transit ad quaestionem quam ipse proponit diiudicandam, "quid ingenium linguae ad formam passivam proferendam impulerit quamque notionem ei tribuerit" (p. 13). Quod ad primam quaestionis partem attinet, fontem illius formae fuisse putat verborum transitivorum forma peculiari designandi desiderium effectum suum in subiecto solo aperiri studiumque linguae variationis et ubertatis (p. 14), de altera vero parte ita commentatur (p. 17): "Ist es nun erlaubt von der Entwickelung des reflexiven Verbs, wie sie uns in den modernen Sprachen vorliegt, einen Rückschluss zu thun auf den Bildungsgang der Reflexivform in der Lateinischen Sprache, so wird dieser folgender gewesen sein. Zuerst heftete sich das Pronomen *se* an die Transitiva, welche durch diese Beschränkung der Thätigkeit auf das Subject zu Intransitiven wurden, und so allmählich zu dem vorhandenen Vorrath eine grosse Menge neuer Bezeichnungen

---

[1]) *G. Holtzius,* ut unum afferam, commentationem illam "accuratam et subtilem" nominat (Syntax. prisc. script. latin. usque ad Terent. vol. II. p. 16).

hinzufügten, die je nach dem Bedürfniss der Rede eigentliche Intransitiva bleiben oder als Passiva verwandt werden konnten. Dann trug die Sprache diese neue Form, welche offenbar das Verhältniss des durch die eigne Thätigkeit zugleich in ein Leiden versetzten Subjects schärfer bezeichnete, auf gewisse Intransitiva über; darauf bildete sich durch Ableitung neue Verba, welche sogleich als eigentliche Reflexiva hervortraten, ohne einem entsprechenden Transitivum gegenüber zu stehen. Beispiele für diese drei so erkennbaren Stufen mögen sein für 1: *vehi*, *ferri*, *volvi*, *fundi*; *angi*; für 2: *mori*, *pati*, *sequi*, *labi*; *fari*, *queri*; für 3: *grassari*, *vectari*, *versari*; *spatiari*, *fluctuari*; *aemulari*, *pigrari*; *vociferari*. Indess damit begnügte sich die Sprache noch nicht; sie wiederholte bis zu einem gewissen Masse ihr formales Bildungprincip auf syntactischem Wege; neben *ferri*, *fundi*, *verti* traten *se ferre*, *se fundere*, *se vertere*, und je weiter diese Art der Verbindung um sich griff, desto mehr wurde die Reflexivform der Transitiva zum wahren Passiv. Aber auch die eigentlichen Deponentia mussten mehr und mehr durch diess Gegenübertreten einer dem Sinne nach anscheinend gleichen Form in ihrem Wesen eine Aenderung erleiden; die reflexive Bedeutung wurde feiner, inniger und tiefer; die Deponentialform konnte selbst entschieden transitive Begriffe erfassen, sobald sich nur durchfühlen liess, dass ihre Thätigkeit nicht wohl ohne ein Leiden, ohne eine körperliche oder meist innerliche Erregung des Subjects ausgeübt werden mochte, und so entstanden solche Verba wie *metior*, *sortior*, *mereor*, *hortor*, *scrutor*.

Quatenus ipse sententiae eius assentiri possim, quae sequitur descriptione in medium proferetur. Hoc loco satis habeo notare mihi minime videri consideratum ex proprietatibus linguarum nostrae aetatis solarum, inprimis germanicae et francogallicae, concludere, quomodo res in lingua latina sese habeat, (neque vero conclusio eius

cum eo, quod antecedit, prorsus cohaeret) nec curare, quid lingua latina ipsa huic quaestioni afferre possit luminis. Deinde ei neutiquam merito est vertendum, quod nusquam quae propria reflexiva esse arbitretur significat, sed vocabula *reflexivum* et *intransitivum* tam promiscue usurpat, ut saepissime nobis sit quaerendum, utrum idem declarantia ipsi necne videantur; sic in verbis quae supra attuli *vehi*, *ferri* intransitiva vocat, *vectari* vero, immo etiam *pigrari* proprie reflexiva. Quod etiam magis est mirandum, cum ille ipse Weissenbornium non satis accurate vim reflexivam definivisse arguat (p. 7 sq.).

Ad extremum Noeltingius summa diligentia verba deponentia enumerat et verba eiusdem fere sententiae copulat inter ea deponentia distinguens, quae passiva sunt verborum activorum reflexiva significatione usurpata (ea etiam *mediopassiva* vocat) [1]) et ea, quae proprie et more solito deponentia appellantur. — Qua partitione secundum significationis discrimina instituta uno quidem conspectu perlustrare possumus deponentia omnia, sed filo omnia contexente plane caremus, neque ideo nobis licet videre, quomodo eadem inter se contineantur, vel quomodo aliud ex alio sit nexum. Ac vix satis erit nulla addita explanatione id modo affirmare, deponentia permulta, quae quare talia sint non facile appareat, vim habere "subtiliorem, interiorem, altiorem" quam alia omnia.

Contra omnes illas vim deponentium declarandi rationes disputat *G. Ekius* in disquisitione grammatica, quam inscripsit "De verbis deponentibus Latinorum iisdemque cum mediis Graecorum quodammodo comparandis" Lundae

---

[1]) Illi indici sine caussa satis firma multa verba videntur esse adscripta. Si enim apud scriptorem quendam activam formam alicuius verbi cum pronomine reflexivo coniunctam repperit Noeltingius, statuere ille videtur passivum huius verbi mediopassivum esse putandum, dummodo in lingua germanica reflexive reddi possit; quid quod ei sufficit participium praet. pass., nisi reperire potest formam finitam. Ita verba

a. 1835 typis excusa, quae, ut ipse ait (p. 45 sq.) "in eo versatur, ut probet, eum in finem inventum esse verbum deponens Latinorum, ut perfectior fieret formae activae usus nec esset unquam, quod ad passivum mutato genere sententiae confugeretur; indeque ortam esse eam temporum passivorum cum activis commixtionem, ut futura tempora Activae essent formae, Praesentia partim activae, partim passivae, ita vero ut participium praesentis, quod Activum esset, significationem suam cum ceteris communicaret, quod cum satis cognitum esset, Participium praeteriti per licentiam active adhiberi, etiam praeterita tempora secuta sunt." Caput quodammodo, quo fundata est tota eius disceptatio, hoc videtur esse: "nihil in lingua considerate, omnia fortuito facta sunt" (p. 10). Etiam principia illa cogitandi ideasque consociandi a natura animis hominum insita, quae in lingua invenienda aut in inventa locupletanda et conformanda vigere non negat, oblivio paene obruit, ubi originem deponentium ostendit. "Ita enim, inquit, sentio, unum aliquem in loquendo aut scribendo induxisse quoddam hujus formae verbum et deinde sensim reliqua secuta esse, cum adparuisset, formam ipsam esse vel ad sonum dulciorem, vel ad usum magis aptam. Huic vero uni verbo non omnes statim formas additas fuisse, quae jam in deponentibus exstant. Si igitur non unum verbum Deponens primum exquirendum nobis sit, est certe unum primarium tempus verbi Deponentis, ex quo cetera omnia sponte tamquam e fonte rivuli deducantur. Est vero, quod dubitem, an hoc tempus ullum aliud fuerit, quam *participium Prae-*

---

vere passiva in indicem illum se insinuarunt. Jam principio *vehi* (curru, lectica, navi), *vectari* (humeris, equis) mediopassiva nominantur et postea — ut nonnulla ex multis afferam — *aboleri, exanimari, solvi, exedi,* atque testes adhibentur verba *Ciceronis* (Fin. II, 30, 97): "(Epaminondas) cum gravi *vulnere exanimari* se videret", et *Plauti* (Epid. III, 1, 1): "Exspectando *exedor* miser atque exenteror"; scilicet quod Germani dicunt "sich verzehren."

teriti Passivi. Magnam enim habebat difficultatem, quod deerat Participium Praet. Act.; eamque quavis ratione tollere, non potuit, quin in lucro poneretur" (p. 14). Quattuor illa verba *intransitiva* coenare, jurare, potare, prandere, quae participia habent praet. pass. active significantia, prima fuisse arbitratur et quasi abscondita verborum deponentium fundamenta. Secuta esse ea verba, quae neutropassiva sive semideponentia vocentur, quorum participium illud praet. pass. adsumpta activa significatione ad tempora praeterita modi finiti effingenda adiuncto verbo *sum* adhiberetur. Posthac unum tantum gradum fieri opus fuisse, ut a neutropassivis ad deponentia perveniretur. Congruentia enim ut exsisteret, ad tempora praeterita eius formae praesentia accedere necesse fuisse. Plus etiam suavitatis habuisse hanc formam, ambiguitatis minus. — Qua argumentatione quid infirmius? Quae rationes ergo verbis exprimendae essent deponentibus, id totum in arbitrio uniuscuiusque positum fuit, qui commoditate tantum vel suavitate ductus hac verborum forma uti volebat; verba deponentia aut significatione aut derivatione niti nusquam indicat. Infitiari quidem non potest, significationem formae passivae interdum esse reflexivam Latinosque *induor* potius quam *induo me*, *exerceor* quam *me exerceo*, similia dixisse, sed "inde, inquit, nihil aliud efficitur, quam ut passiva forma potius quam activa cum pronomine efferatur sententia reciproca; eaeque omnes actiones rectius passivae judicantur, cum in iis, modo fiant, a quo fiant, nihil intersit. Neque suppetit haec ratio ad originem verborum Deponentium detegendam, cum in paucis tantum verbis deponentibus significatio reciproca s. reflexiva latere videatur" (p. 12). Qua de re et de firmitate rationum ita persuasum ipsi est, ut alio loco dicat: "cum monstravero, ipsum illud, in quo positam volunt Mediorum et Deponentium propinquitatem, fictum esse, neminem ulterius existimem hac chorda oberraturum. Quid est igitur, quod illi

tantopere urgent? Reflexivam notionem Mediorum propriam putant. Eandem in quibusdam Deponentibus sibi visi sunt deprehendere: ergo Deponentia hac in parte cum Mediis congruunt. At falsum prius, falsum igitur et posterius" (p. 47). Postremo ut quae sibi placuerint accuratius confirmet, deponentia Latinorum cum deponentibus linguae suecanae comparat exclamatque: "id mihi, qui velit, ante exquirat, num agendi significatio magis sit propria his verbis linguae vernaculae *sofva*, *straffa*, *leka*, *missunna*, *bullra*, *fäkta*, *närma sig*, *förmoda*, his minus *andas*, *hämnas*, *skalkas*, *afundas*, *väsnas*, *brottas*, *nalkas*, *hoppas*, si mihi persuadeam, *hortari* minorem habere agendi vim, quam *monere*, aut tandem *adulari* minorem, quam *adulare*" (p. 30). Ergo ne deponentia suecana quidem eum impellere potueerunt, ut melius naturam deponentium cognosceret [1]).

Uberius exposuimus, quid de verbis deponentibus iudicaverint diversarum sententiarum propugnatores praecipui. Nunc vero finis imponendus videtur esse huic inquisitioni, quamquam non ignoramus, alias quoque opiniones in lucem prodisse, velut *C. G. Zumptii* [2]), "linguam latinam in plerisque verbis deponentibus effingendis leges prorsus peculiares nobisque ignotas secutas esse", et *J. A. Madvigii*, qui dicit [3]): "Ich denke mir die lateinische Pas-

---

[1]) Quamvis illa Ekii sententia nihil habere videatur probabilitatis, nihilominus in patria eius huic sententiae defendendae incubuit *Heurlinus* quidam, qui anno 1852 Lundae publice examinandum proposuit opusculum, quod inscripsit "De significatione verbis Graecorum mediis propria iisdemque a deponentibus discernendis"; ille vero novi quidquam ad sententiam illustrandam non contulit, imitator ineptus non modo sententiarum, sed etiam mirum quantum verborum et enuntiatorum, quibus usi sunt *Ekius* et *Mehlhornius* (Neue Jahrbücher für Philologie und Paedagogik von Seebode und Jahn. Leipzig 1831).

[2]) Cf. Lateinische Grammatik von C. G. Zumpt, sechste Ausgabe. Berlin 1828, § 147 (p. 131).

[3]) V. Bemerkungen über verschiedene Punkte des Systems der lateinischen Sprachlehre von J. N. Madvig, Braunschweig 1843, p. 41.

sivform nicht (wie Bopp und andere in der neuesten Zeit) als eine ursprünglich rein und bestimmt reflexive Form, welche Bedeutung weder zur Erklärung der wichtigsten Deponentia noch des Gebrauches der Deponensform zur Bildung abgeleiteter Verba hinreichend ist, sondern als eine solche, die weniger eine Vorstellung von einer bestimmt auftretender Handlung des Subjects als eine Andeutung einer Thätigkeit bei demselben mit sich brachte". Qui cum ad hanc quaestionem digitum modo, ut dicitur, intenderint neque ullis argumentis sententias suas probare sint conati, non est cur in eis enumerandis haereamus. Iam vero quid ipsi sentiamus de verbis deponentibus proponemus. Quod quo melius intellegatur, primum danda est opera, ut in ipsam formam, quam suam fecerunt haec verba, quatenus ex lingua latina ipsa et aliis linguis cognatis colligi liceat inquiramus.

III. Forma passiva eiusque significationes adumbrantur.

Ex inventis, quae in lucem prolata sunt linguarum comparandarum studiis, maximi est momenti natura vocabulorum recte cognita. Etenim non secus atque ei, qui corpora insecant et aperiunt, ut intestina penitus cognoscant, linguarum investigatores persecare conati sunt vocabula, ut seiungere possent omnes vocabulorum accessiones temporis progressu factas utque principales eorum formas restituerent; quae quidem elementa individua vel linguarum fundamenta "*radices*" nominaverunt. Neque tamen ut stirpes ramique arborum a radice gignuntur, ita illae vocum accessiones a radicibus natae sunt. Quae opinio diu quidem valuit, sed perscrutationibus postea factis iam evictum est a sui iuris vocabulis originem ducere accessiones illas, quas tamen ut omnes recte agnoscerent nondum investigatoribus contigit. Tali modo etiam incunabula linguarum multo magis sunt illustrata quam antea fieri potuit,

cum homines docti rationi uni parendo in originem earum inquirerent. Ad quaestionem quam nobis proposuimus explicandam necessarium non est omnes omnium sententias de ortu linguarum demonstrare neque quam pervestigandi viam et rationem unusquisque secutus sit explicare — id tantummodo hic commemorare satis sit, investigationibus iam factis sat superque esse probatum diversas partes orationis, quas vocamus, non esse tribuendas linguarum primordiis, neque ideo, cum de forma vocabulorum eorumque significatione quaerimus, e condicione qua sunt in nostra lingua vocabula exeundum. Linguae iuvenili non variis fuit opus vocabulis, ut rem reique aut actionem aut naturam exprimeret; idem vocis sonus satis erat. Etiamnunc linguae inveniuntur, quae partibus orationis nondum discretis eadem voce utuntur, qua aut substantivum aut adiectivum aut verbum significetur, velut lingua Sinica, in qua, ut exemplo utar, vocabulum *ly* exprimere potest et arare et aratrum et bovem (= aratorem), vocabulum *ta* et magnum esse et magnitudinem et magnum [1]); — quae vis unicuique vocabulo ubique subiecta sit, id maxima ex parte collocatione verborum declaratur. Cum vero radices duabus aut pluribus radicibus in unam conflatis crescere coepissent, tum demum paullatim orta sunt substantiva, adiectiva, verba. Ex illa communi, ut ita dicam, patria domo prima exisse verba evidenter probavit *Curtius* [2]), cum et radici se agglutinarent accessiones, quibus vis eorum accuratius definiretur, quemadmodum e radice *ju* (= ligare) adolescebant *juǵ* et *judh*, et exitus personarum e radicibus quas vocant pronominales nascerentur, quibus actionis ratio ad perso-

---

[1]) Vid. M. Muelleri "Vorlesungen über die Wissenschaft der Sprache für das deutsche Publicum bearbeitet von C. Böttger", edit. II. Tom. II. p. 92.

[2]) Legas velim libellum eius iucundis acerrimisque animadversionibus refertum, quem inscripsit: "Zur Chronologie der indogermanischen Sprachforschung".

nam agentem significaretur. Ingenii autem animique cultura cum non per saltus progrediatur, verba principalia statum mihi videntur aut actionem in ipsa re agente cohibitam expressisse ideoque *subiectiva* [1]) fuisse. Cum vero eis adderetur res aliqua actioni obiecta, vim sibi vindicare coeperunt transitivam, ita quidem ut unumquodque verbum et subiective et obiective adhiberi posset. Omnia verba activam solam formam principio habuerunt et multae linguae longius non sunt progressae [2]); quid quod nonnullae linguae recentiores debilitationi formarum obnoxiae peculiarem, quam habuerunt linguae unde natae sunt, formam passivam omnino amiserunt. Et revera dici potest nulli omnino linguae altera forma necessario esse opus ad notiones quae passivo solent inesse exprimendas neque ullam constat linguam in illa forma effingenda primo eo intendisse, quo postea pervenit, sed consilium, si ita dicere liceat, plane aliud linguae consecutae sunt omnes. Si indogermanicas quae vocantur linguas spectamus, eandem viam has fere omnes inisse invenimus, quippe quae studium notionum subiectivarum exprimendarum in eam viam induxerit, ubi postea forma passiva exsisteret. Praeterierat enim aetas, qua eadem verborum forma et subiective et obiective adhiberi potuit, ac plurima verba aut transitiva aut intransitiva facta erant. Imprimis numerus verborum transitivorum valde creverat. Uti enim *compositione* vis horum verborum erat

[1]) Hoc loco appellationem verborum subiectivorum et obiectivorum, quam iam *de Sacy* (Grundl. der allgem. Sprachlehre, Hal. 1804) indeque alii multi sunt complexi, usurpare malo quam verborum intransitivorum et transitivorum, cum illa nomina his sint expressiora minusque formae verborum memoriam afferant. Verba enim qualia sunt *edere, bibere* non facile *intransitiva* appelles.

[2]) Vid. "Ueber das Passivum von H. L. von der Gabelentz" in "Abhandlungen der königlich Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften" Tom. VIII. p. 464 sqq. In hac commentatione auctor in brevi conspectu ponit notionis passivae designandae rationem in linguis varii generis ducentis.

multiplicata — immo haud pauca verba composita, quae a verbis intransitivis exeunt, notionem habent transitivam, velut *accedere*, *invenire*, *transire* — item *derivatione* ad infinitum fere cumulata est horum multitudo. Itaque verbum transitivum solum non iam suffecit, si designandum erat, vim actionis a subiecto confectae in hoc ipsum relabi. Quid vero magis rei naturae consentaneum inde effici potuit, quam ut pronomine reflexivo id efferretur; quod tum potius accideret necesse erat, quando homines iuvenili laetabantur condicione et omnia eis videbantur vigentia, alacria, propria vi mobilia, neque illi translate ut nos dicebant: *mare se attollit, silva viridem se vestit* similia. Qualis vero res, talis lingua — aeque mobilis mutabilisque, terminatio fiebat quod prius vocabulum fuerat singulare — quo quid usitatius? — et pro legibus linguae mutabatur. Cum autem pronomen et verbum in unum conflata essent, ut una tantum littera ex illo restaret neque ea amplius sui iuris, mirandum non erat obscuratam esse et evanuisse significationem pronominis, quod in externa forma posteri ne suspicari quidem potuerunt inesse.

Iam vero formis verborum et significationibus generatim atque universe tractatis ad passivum latinae linguae potissimum explicandum transeamus, sed priusquam in notione huius formae indaganda longius progrediamur, diligentius ipsam formam explicare conabimur. Duae difficultates hic nobis sunt superandae, una, quomodo esse possit terminatio *r* insigne pronominis reflexivi, altera, quare haec *r* littera in omnibus personis retineatur. Ac de primo loco lingua latina ad difficultatem removendam plane sufficit; sexcentis enim potest demonstrari exemplis litteram *s* in *r* imprimis inter duas vocales et in fine verborum mutari, ita quidem ut nihil obstet, quin e pronomine *se* in exitu passivi consona *s* primo restiterit. Iam *Terentius Varro* (L. L. VII, 26 sq.) novit, "in multis verbis, in quo antiqui dicerent *s*, postea dictum esse *r*" exemplaque affert *casmena carmena*, *foedesum foede-*

rum, *plusima*, *plurima*, *meliosem meliorem*, *asenam arenam*, *ianitos ianitor*, et *Quintilianus* mentionem facit (de instit. orat. I, 4, 13) antiquos "*Valesii Fusii*, *arbos*, *labos*, *vapos*, *clamos*, *lases*" dixisse, quae exempla mirum quantum possunt augeri [1]). Hic proferre sufficiat: *eram*, *eras*, *erat* cet., *ero*, *eris* cet. pro *esam*, *esas*, *esat*, *eso*, *esis* (radix *es*, cf. *es-t*, *es-tis*), *gero* pro *geso* (*ges-si*, *ges-tum*), *maiores* pro *maioses*, *honor*, *amor*, *lepor*, *melior* pro *honos*, *amos*, *lepos*, *melios*. In aliis quoque linguis Italicis eadem proprietas invenitur, quare forma passiva et in lingua umbrica et osca et sabellica in *r* exit [2]); quid quod etiam in lingua irica passivum ita terminatur, ut *berthar* (lat. fertur), *berammar* (lat. ferimur), *bertar* (lat. feruntur) [3]). Nec vero ea mutatio aliis in linguis plane est inaudita; sic in lingua sanscrita *avir êti* (= ovis it) dicitur pro *avis êti* [4]) et in lingua germanica *war*, *waren* pro *was*, *wasen* (cf. ge-wes-en).

Qua in re quamvis nulla inveniatur difficultas, alia tamen restat quaestio eaque perdifficilis, quid in caussa fuerit, cur in omnibus personis usurpata sit eadem littera, ut pro *amo me*, *amas te*, *amo se*, *amas se* dicendum fuerit. Neque negamus maioribus hanc quaestionem esse obstructam difficultatibus, quam quas sola lingua latina vincere possimus. Sed venit nobis subsidio philologia quam dicunt comparativa ostendens illa quidem in aliis quoque linguis linguae latinae cognatis haud aliter rem se habere. Ad exprimendam enim notionem patiendi in lingua slavonica accusativus pronominis reflexivi *se* omnibus activi personis subicitur et in lingua lituanica *s* littera e pronomine re-

---

[1]) Indicem exemplorum huc pertinentium affert *Corssenus* in libro suo doctissimo acutissimeque conscripto "Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache, Zweite Ausgabe". Tom. 1. p. 229 sqq.

[2]) Corssen. "Ueber Aussprache" Tom. 1. p. 237.

[3]) V. Schleicher, "Compendium der vergleichenden Grammatik der Indogermanischen Sprachen, Zweite Auflage" p. 705 sq.

[4]) V. Schleicheri Compendium p. 177.

flexivo tertiae personae exorta omnibus activi personis annecti potest. Cuius cum lingua latina similitudo quo planius appareat, tempus utriusque linguae praesens hic afferre liceat:[1])

Sing.	1.	vežù = veho	vežű-s = vehor
	2.	vežì = vehis	vežé-s = veherìs
	3.	véža = vehit	véža-s = vehitur
Plur.	1.	véžame = vehimus	véžamė-s = vehimur
	2.	véžase = vehitis	véžatė-s = vehimini

Tertia persona pluralis lingua lituanica caret, cui exprimendae tertia pers. sing. inservit[2]).

Neque vero obliviscendum est indicio eius quam quaerimus rei linguas esse Suecanam Norvegianam Danicam, quae peculiarem formam passivam in *s* exeuntem conformarunt, quam litteram a pronomine reflexivo *sig* natam esse facile intellegitur. — Neque scio, an eadem sit ratio medialis formae in graeca lingua, ut *Boppius* iam coniecit[3]), quamvis ille aeque ac plerique alii aliam interpretationem potius probare videatur. Multo enim simplicior minusque arcessita mihi videtur esse explanatio, si exitus *μαι* a *μασι*, *σαι* a *σασι*, *ται* a *τασι* ortos esse putemus, quam si ponamus *μαμι*, *σασι*, *τατι* fontes fuisse, cum littera *s* inter duas vocales saepissime oblitteretur, minime tamen *μ* et *τ*; accedit quod ratione aliarum linguarum meam opinionem iam vidimus confirmari.

Tertiam personam in universum ceteris personis quasi validiorem esse studio omnium fere linguarum docemur; sic in lingua graeca *ἑαυτοῦ* pro *ἐμαυτοῦ* et *σεαυτοῦ* interdum usurpatur saepissimeque *ἑαυτων*, *ἑαυτοῖς*, *ἑαυτούς* pro *ἡμῶν αὐτῶν*, *ὑμῶν αὐτῶν* cet.[1]) nec desunt exempla, qui-

---

1) Schleicher, Compendium p. 703.

2) Dualem linguae lituanicae omisimus, quippe cui respondens forma linguae latinae desit.

3) Vergleichende Grammatik, Tom. II. p. 321 sq.

4) G. Bernhardy, Wissenschaftliche Syntax der griechischen Sprache, pag. 272.

bus probetur poetas forma *ἑός* pro *ἐμός* et *σός* usos esse, ut Od. *ν* 320 *Ἀλλ' αἰεὶ φρεσὶν ᾗσιν ἔχων δεδαϊγμένον ἦτορ ἠλώμην* [1]. — In lingua germanica inveniri talia, qualia sunt *wir bedanken sich, wir haben sich gefreut, ihr habt sich gewundert* testatur peritissimus ille linguarum germanicarum existimator *Jac. Grimmius* [2]. Quid quod in lingua russica tertiae personae pronomen semper adhibetur, cum pronomen cuiusvis personae ad subiectum enuntiati refertur, ut *Я купилъ себѣ книгу* = emi *sibi* (pro mihi) librum, *ты имѣлъ у себя гостей* = hospites apud *se* (pro te) habebas; *мы приобрѣли себѣ славу* = laudem *sibi* (pro nobis) comparavimus; *вы скверно воспитали своихъ дѣтей* = liberos *suos* (pro vestros) male educastis. — Imprimis apta ad hanc linguarum proprietatem probandam in fennica quoque lingua ratio est suffixi tertiae personae *h- n* sive *nsa*. In multis enim vocabulis hoc suffixum ad *omnes* pertinet personas, ut *minä olen kokonaan särjetty* (= ego plane (proprie: *totus*) conflictus sum), *tuletko sinä ainoastaan* (= unusne venis), *me olemme yksinänsä* (= soli sumus), *me sovimme keskenänsä* (= inter nos consentimus), sed in suffixo *nsa* adhibendo usus etiamnunc vacillat, ut aeque fere usitate dicatur *olemme yksinämme*, etiam usitatius *sovimme keskenämme*.

Qua quidem linguae fennicae proprietate duce, quomodo orta sit linguae latinae forma passiva, facilius perspici posse putaverim. Uti enim in lingua fennica suffixum tertiae personae nonnullis vocabulis usitatissimis adiectum usu frequentissimo suffixis primae et secundae personae coepit praevalere, cum his vocabulis, ut ita dicam, conflatum unamque notionem efficiens, sic sine dubio in lingua latina exitus tertiae personae, utpote quae ceteris personis multo saepius in usum venerit, paullatim tyrannus quodammodo factus est, qui unus omnes personas sub potesta-

---

1) Cf. Matthiä, Ausführliche Griechische Grammatik § 489.

2) Deutsche Grammatik, Tom. IV. p. 37.

tem suam redegerit tamque arte se cum verbo coniunxerit, ut in unam notionem sint confusa.

Quae cum ita sint, nihil videtur esse, quod sententiae de exitu passivi linguae latinae, quam Boppius proposuit, dubitemus assentiri. Attamen cum de formandis singulis personis quaeritur aliquid dissentimus ab illo aliisque multis, qui id potissimum iudicarunt, pronomen *se* solum annecti, si respondens forma activa in vocalem terminetur, sin autem in consonam cadat, hanc consonam aut abici aut immissa vocali auxiliari a pronomine seiungi [1]). *Corssenus* [2]) demum demonstravit inanem esse illam de vocali auxiliari opinionem eamque vocalem terminationis personarum propriam esse, quae quidem hic diutius quam in activa forma sese retinuerit. Linguam fennicam cognitam habentibus nulla in ea caussa dubitatio esse potest. Innumerabilibus enim exemplis affirmatur vocales, quae in fine vocabulorum deciderunt, suffixo addito integras esse conservatas, velut, ut pauca tantum afferam, multis in dialectis dicitur *herran* (=ut dominus, domini loco) pro *herrana*, *isäl'* (=patri) pro *isälle*, *poikas* (filius tuus) pro *poikasi;* semper vero *herrana-n(i)* (ut meus dominus), *isälle-s(i)* (tuo patri) *poikasikin* (filius quoque tuus); ne mentionem faciam exemplorum, quae in omni sermone exstant, *paimen* (= pastor) pro *paimene*, *sydän* (= cor) pro *sydäme*, semper autem *paimene-n* (= pastoris), *sydäme-ssä* (in corde); qualia sunt in latina quoque lingua *nomen*, *nomini-s*, *virtus*, *virtuti-s* similia. Multa quae prius iacebant in tenebris re illa cognita illustrantur. Atque in hac nostra quaestione ita primum videmus, tertiam personam prae se ferre formam aliis personis antiquiorem, nam in formis *legi-tu-r*, *legu-ntu-r* vocalis *u* aetatem valde magnam arguit. Immo antiquiorem quoque formam

---

[1]) V. Boppii "Vergleichende Grammatik", Tom. II. p. 324, Schleicheri Compendium p. 704.

[2]) V. librum eius "Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung" Tom. II. p. 59.

nanci-to-r leges duodecim tabularum praebent (Festus p. 166), quam quidem formam tertiam praesentis personam esse cum *Corsseno* (de pronunt. II, 401 sqq.) putaverim. Antiquissimam etiam formam tenuit lingua celtica, ut *ber-tha-r* (= feritur), *scrib-tha-r* (= scribitur). In latina lingua littera *a* pedetemptim et gradatim in activo attenuata est — formam *tremo-nti* e Saliorum carminibus Festus servavit (p. 205) — donec prorsus abiceretur. Deinde secunda persona passivi ab antiquiore forma nata est quam quae in activo iam exstat. Etenim secunda pers. sing. *legeris* a *lege-si-s* orta est, cuius prima *s* littera in *r* est mutata, altera intacta remansit solumque est insigne integrum pronominis reflexivi. In eadem pluralis persona forma usurpatur participii verbo auxiliari omisso, ut *legi-mini* pro *legimini, ae, a estis.* Quae terminatio invenitur etiam in nonnullis substantivis, ut *alu-mnus* (= qui altus est), *vertu-mnus*, *fe-mina* eademque est quae finis participiorum graecae linguae *μενος*, qua in sanscrita quoque et in aliis linguis cognatis finguntur participia verborum [1]). Prima denique persona quomodo orta sit, inter homines doctos non convenit. Alii enim ad formas formis activi vetustiores eam referunt, alii ex his ipsis eam derivari malunt. Sic suspicatur *Corssenus tegor* a *tego-mi-se* per medios gradus *tego-m-se*, *tego-n-se*, *tego-se* ortum esse, et terminationem *mur* a *mu-si-se* (de pronunt. II. 56, 59). *Schleicherus* vero *amamus* ab *amamus-u-se* originem duxisse ponit (Compend. 704), *Curtius* autem ab *amamu-se* formam illam profectam esse putat [2]) ideoque ea aetate natam esse, qua *s* littera in fine verborum saepius evanuerit, ut in sermone non pronuntiaretur. In ea una re omnes illi errasse mihi videntur, quod pronomen reflexivum integrum fuisse sumpserunt, quoad ultima forma explicata sit, quamquam cognitum est litteras saepissime in fine vocum de-

---

[1]) Cf. Schleicheri Compendium p. 413 sqq.

[2]) Vid. Schleicheri Compend. p. 704.

teri, multo rarius in media voce. Si igitur formam *tego-mi-se* primam poneremus, *tegomir* secundum leges latinae linguae inde nasci posset, sed veri similitudini multum repugnat *tegomir* in *tegor* contractum fuisse. Equidem sine ulla dubitatione *tegor* a *tego* profectum esse statuo, cum forma praesentis in *o* exiens neutiquam tam sit recens — quippe quae etiam in graeca lingua inveniatur — ut eam sententiam faciat irritam. Ac persuasum mihi est etiam *tegimur* a *tegi-mu* descendisse neque ideo litteram *s* terminationis activi in sermone auditam fuisse, cum passiva forma effingeretur, nam linguae cognatae clare ostendunt illud *s* nullo modo acutum sonasse. In sanscrita enim lingua ea littera prorsus decidit in temporibus secundariis, quae vocantur, atque in graeca, irica, bulgarica, lituanica, gothica linguis semper evanuit[1]). — Opiniones Schleicheri et Corsseni *amamur* ortum esse ab *amamurure* vel *amamusise* ad fines ridiculi prope accedunt. — Restat, ut de prima passivi persona mentionem faciam, cui respondens activa forma in *m* exit. Quae consona facillime omnium in fine vocum evanescebat, sed stili consuetudo cum numquam vivae vocis sonum exaequet, hanc litteram retinuit, quamquam in communi sermone non iam audiretur. Inde exortam esse proprietatem illam, ut in versu quasi vocalis tractaretur, quis est qui ignoret. Haud scio igitur, an eam formam eodem plane modo quo ceterae formae personae primae evasisse ponam. Id saltem perspicere nequeo, quomodo fieri potuerit — id quod permulti posuerunt — ut *legam* a *legams* prodierit ideoque terminatio *r* vel *s* litterae *m* annexa sit. Unum illud me iudice rationi non adversabitur, si primam formam *legamir* fuisse sumpseris, cuius quidem cum prima syllaba accentu efferretur *i* littera paullatim infirmior facta demum oblitterata sit, quo facto sonum gratum postulasse, ut etiam *m* littera extruderetur. Attamen haec

---

[1]) Schleicher, Compendium p. 668.

quoque sententia talis est, vix ut in ea acquiescamus. — Denique quod ad ipsum pronomen reflexivum *se* attinet, equidem coniecerim, in tertia persona, cuius formam antiquissimam esse iam vidimus, id potestate sua amissa terminationem factum esse indeque in alias personas ex analogia huius personae transisse, mutationem vero *s* litterae in *r* non effectam esse nisi omnibus passivi personis formatis, utpote cum secunda persona principalem *s* litteram semper servaverit.

Ut vero persuasissimum nobis est exitum formae passivae a pronomine reflexivo profectum esse, ita non dubitamus, quin notio proprie reflexiva mox evanuerit, cum pronomen sui iuris esse desiisset et evalescere inciperet verbi significatio. Et quid mirum, si notio formae *verborum* reflexiva dilapsa sit? Invenitur enim saepius in linguis recentioribus pronomen reflexivum ipsum verbis additum, cuius significatio prorsus oblitterata est; velut loquuntur Germani: *ein solches Buch findet sich hier nicht* = talis liber hic non est; *ich freue mich* = laetus sum, *ich schäme mich*, *ich wundere mich*; quid quod Francogalli dicunt: *se mourir*, *se rire*, *se taire*. In eisdem linguis pronomen illud cum adiungitur verbis quemvis motum significantibus, vim habere potest proprie reflexivam, ut *er stürtzt sich ins Meer*, *er beugt sich*, *trennt sich*, *zeigt sich;* cum vero haec verba de rebus inanimis edicuntur, obscurata notione reflexiva sola intransitiva restat, ad quam designandam cum non habeant peculiarem formam, confugiendum eis est ad pronomen reflexivum. — Sed ex ipsa lingua latina possumus concludere Romanos haudquaquam formam passivam reflexive percepisse. Perscrutemur enim eiuscemodi exempla ut: *equidem angor animo non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rempublicam* (Cic. Brut. 2, 7); *crucior lapidem non habere me* (Plaut. Capt. III, 4, 68). Homo latinus potuit quidem dicere *se angere, cruciare*, velut ait *Plautus: absurde facis, qui angas te animi* (Epid. III, 1, 6); *Ipsus sese cruciat aegri-*

tudine] (Bacch. III, 3, 89), sed apertissime elucet nullam habere verba *angor* et *crucior* in exemplis illis vim reflexivam. Vix enim contenderit quispiam etiam dici posse: *ango me, non consilii armis egere rempublicam*, aut *crucio me lapidem me non habere*, quo quidem modo in lingua germanica dicitur: *ich ängstige mich, dass der Staat nicht die Waffen der Einsicht braucht, ich ärgere mich, dass ich einen Stein nicht habe.* Illis igitur verbis, *angor* dico et *crucior*, id solum declaratur eum sensum, cuius motionem in *aliis* indicat forma activa, in *subiecto* ipso excitatum inesse, neque vis eorum alia est quam verborum activae formae sensum quendam exprimentium ut *dolere, maerere, timere.* Ut vero sese habent verba motum *internum* significantia, ita sine dubio verba quoque, quae motum efferunt *externum*, quare idem fere videtur esse, si dicimus *ruere, corruere* aut *praecipitem dari, agi, ferri*, in quibus verbis non industria subiecti, sed actio ipsa passiva forma praecipue exhibetur. Si igitur magis est enuntianda notio reflexiva, passivum non usurpatur, sed activum cum pronomine reflexivo coniunctum. — Liceat hic etiam verba fennica in *-un* et *-yn* exeuntia comparare, quorum complura in lingua germanica reflexive vertantur necesse est, velut *käännyn = ich wende mich, yhdyn = ich vereinige mich, pukeun = ich kleide mich an, sekaannun = ich vermische mich* sive *draenge mich ein.* Qui linguam fennicam habet cognitam, facile perspicit verba germanice conversa non prorsus idem declarare quod verba fennica, quippe cum haec actionem modo designent, quae in subiecto exerceatur, illa vero subiectum ipsum in se actionem exercere significent. Verbis illis fennicis plane respondere puto latina verba *vertor, iungor, vestior, misceor.* Etiam id inter eas linguas convenit, ut necessario usurpanda sint verba transitiva cum pronomine reflexivo coniuncta, si notio proprie reflexiva exprimenda est, velut *käännän itseni, puen itseni = me verto, me vestio.* — Quae cum ita essent, inde aliud non effectum

est, nisi ut in oratione soluta maxime usurparetur de animalibus structura reflexiva, raro tantum translate de rebus inanimis, in poesi vero quo magis viva variaque fieret descriptio saepius de inanimis in usum veniret. In oratione igitur forma passiva usitatissima erat, quando de rebus vita et sensu carentibus quaerebatur, neque tamen animalium motum saepe non exprimebat, etiamsi usum in poematis neutiquam aequiparabat. Immo poetae nonnulla passiva usurpant obiective, ut *Vergilius* (Aen. II, 510): (senior) *ferrum cingitur;* (Aen. II, 392 sq. cf. etiam II, 275; VII, 640; XI, 487): *galeam clipeique insigne decorum induitur; Plautus* (Aulul. I, 2, 38): *copulantur dexteras; Horatius* (Epist. II, 3, 302): *purgor bilem;* quae structura vulgo nominatur graeca, utpote quae ex graeco fonte emanaverit. Quod utut est, tamen ab usu latino non valde abhorret neque unquam adhiberi potuisset, si legibus latinae linguae repugnaret. Cum enim Romani forma passiva uterentur, ut subiective id significarent, quod activa forma obiective expresserant, non multum aberat quin ad eundem exitum pervenirent haec verba subiectiva, quo prius verba subiectiva activae formae, quod quidem in graeca lingua factum esse constat. Et reapse etiam in lingua latina sortem multorum deponentium ita cecidisse infra ostendemus. In eis vero verbis, quorum activa forma non obsolevit, poetae fere soli nonnulla passiva obiective usurpabant, quem tamen usum ne a Cicerone quidem prorsus alienum fuisse exemplum supra (p. 43) allatum testatur.

Verum etiamsi nova forma exstiterat, qua notiones subiectivae referrentur, complurium verborum transitivorum usui pristino adhaerescentium etiam subiective usurpari potuit activum. — Antea interpretes, quo res pertineret, ignari pronomen reflexivum intellegendum putabant ideoque ellipsin esse statuebant, quam opinionem iam vix quisquam est qui probet. — Itaque eadem vi inveniuntur usurpata

verto et *vertor*, *exerceo* et *exerceor*, *lavo et lavor*[1]. Sed progrediente tempore passiva forma usitatior facta est, quandoquidem lingua duas formas peculiares duabus significationibus respondentes quam unam habere maluit. Illa vero passivi vis notionis subiectivae significandae non ad omnia verba extenta est, sed ad ea tantummodo, quae motum quendam significabant, quibus in verbis maxime apparuit motus ipse sua quasi sponte effectus, non ita is, qui motum excitavit. Cum vero de actionibus quaerebatur, in quibus subiecti ipsius consilium et industria magis cernuntur, eae non potuerunt subiective referri nisi structura reflexiva. Propterea aliter non dicebant Romani quam *se excusare*, *expurgare; cohibere*, *abstinere*, *regere; servare*, *defendere*, *munire*, *saepire*. Eadem plane ratio fuit verborum motum proprie significantium, si translate usurpabantur, ut *se offerre* (auxilium petentibus, pro patria), *se dare* (studiis), *se agere*, *gerere*, *tractare*. Denique si actio denotatur, cuius initium in consilio agentis inesse apparet neque cogitari potest nisi cum industria agentis coniuncta, structura reflexiva ad notionem subiectivam exprimendam necessaria est unaque, quae in lingua latina adhiberi potest.

Neque vero forma passiva significationem non dilatavit. Quemodmodum enim, cuius rei supra (p. 37) mentionem fecimus, lingua slavonica ad notionem *patiendi* designandam pronomen reflexivum *se* omnibus activi formis adiungit et lingua Valachica[2]) varia variarum pronomina, ut idem assequatur, usurpat, sic in lingua latina haec patiendi notio formae passivae innascebatur. Eandem viam confecisse ver-

---

1) *Varro* (L. L. IX, 105 sqq.) de usu activi et passivi *lavandi* verbi disserit, sed ex demonstratione eius vix aliud discimus, nisi passivum eius verbi tunc iam activo usitatius fuisse ad notionem subiectivam exhibendam.

2) Praesens passivi unius verbi hic afferre liceat: eu më laud (=laudor), tu te lauzi, el së laudë, noi ne lëudëm, voi vë lëudatzi, ei së laude (Cf. Dietz, "Grammatik der Roman. Sprachen, Dritte Auflage", Tom. II. p. 265.

bum Graecorum passivum, ut quod a medio profectum sit, satis inter omnes constat. Quo melius eam significationis amplificationem mente concipiamus, nonnulla apponemus exempla [1]). Hominem latinum *angi* eadem vi dixisse qua "anxium esse" iam ostendimus, ideoque *angor gravi cura* id significare potuit quod "anxius sum gravis curae caussa". Quam brevis inde via sit ad "anxius *fio* gravi cura", non est quod moneamus. Atque quanto spatio, ut aliis exemplis utar, inter se distant *fumus in auram diffunditur* et *fumus aura* (i. e. aurae vi) *diffunditur* aut inter *in navi vehor* et *navi* (i. e. navis auxilio) *vehor?* Cum autem ita passivo significari coeptae essent actiones, quae *extrinsecus* incitatae rem subiectam affecerunt, haec notio facile in omnia verba transitiva sensim accommodata est, ut etiam *amari*, *doceri*, *occidi* dictum sit. Atque longius res processit: etiam persona agens ablativo denotata cum praepositione *a (ab)* huic formae addebatur, quo quidem modo artiore quasi vinculo et familiaritate actio et auctor eius coniungebantur. Eam structuram sibi vindicarunt nonnulla quoque intransitiva, quorum significatio cognata erat passivorum, ut *cadere*, *occidere*, *interire*, *obire*, *perire*, *venire*, *vapulare*, (Marcellus) *periit ab Hannibale* (Plin. Nat. hist. XI, 37, 189); *Respondit a cive se spoliari malle quam ab hoste venire* (Quintil. de instit. orat. XII, 1, 43); *Testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset, et innocens, inquit.* (Quintil. IX, 2, 12).

Qua quoque via significatio verborum passivorum ad vim intransitivorum prope accessit. Sicuti enim notio reflexiva in intransitivam transierat, cum in forma passiva vis subiecti industriae evanuisset, ita in actionibus extrinsecus ortis actor earum obscuratus est solusque status, in quem

---

[1]) *Noeltingius*, quemadmodum notio patiendi a notione reflexiva nata sit, explicare conatur (p. 15 sq.), sed elocutionibus, quantum intellego, nihil effert nisi variam mixturam, quae quo spectaret vix perspiceremus, nisi initio id ipse indicasset.

res subiecta effectu actionis incideret, animo observabatur. Eiusmodi passiva, ut nonnulla afferam exempla, exstant in enuntiatis: *noli in conservandis bonis defatigari* (Cic. pro Marc. VI, 29); *Allevor, cum loquor tecum absens* (Cic. ad Att. XII, 39); *Si quis est, in quo iam offenderis* —, *huic nihil credideris* (Cic. ad Quint. fratr. I, 1, 4).

Iam vero ad finem perducti sumus nostrae adumbrationis, quae erat de origine formae passivae eiusque significationibus. Sequitur nunc, ut ad verba deponentia diligentius accuratiusque exponenda transeamus. In eis perscrutandis haud scio, an optimum sit primum brevi in conspectu ponere singula verba deponentia et ea, quatenus lingua latina ipsa et aliae linguae cognatae nobis adsint, pervestigare, ut demum his in uno aspectu positis diiudicare possimus, quae notio eis recte sit tribuenda et quoad sensus formae respondeat. In hac disquisitione ultro offerunt rationem describendi coniugationes illae, quales in nostris usurpari solent grammaticis, quae quidem quamvis secundum externas modo notas sint divisae, fundamentum non plane ineptum praebent, quando et de forma et de notione atque de harum inter se ratione quaeritur. Ordinem vero, quo usi sunt grammatici, retinere nequimus, cum viam, quam secuta sunt verba latina, indagare volumus, sed a coniugatione *tertia*, quam vulgo nominant, nobis est ordiendum, utpote quae principalis putanda sit ideoque verba antiquissima contineat.

IV. Deponentia tertiae coniugationis examinantur.

Ad tertiam coniugationem, quae vocatur, haec pertinent deponentia, quae infra scripsi.

1) *Apisci.* Hoc verbum inchoativum ortum est a verbo *apere*, de quo apud *Servium* (ad Verg. Aen. X, 270) legimus: "*Apere* veteres *alligare* dicebant", et apud *Festum* (p. 18): "*comprehendere* antiqui vinculo *apere* dicebant, unde

aptus is, qui convenienter alicui iunctus est". *Apisci* igitur id proprie valuisse ac *ligari, iungi* dilucide apparet. — Composita eius verbi sunt: *adipisci, indipisci, redipisci.*

2) *Calvi.* Unde hoc deductum sit, inter se dissentiunt homines docti. *Corssenus* (de pronunt. I, 522; II, 172; Symbol. 450) radicem ponit *skar* sive *skal* (= secare, tondere) et *calvi* confert cum *car-in-are, in-cil-are, in-col-u-mis,* *κείρ-ω, κολ-ού-ω, σκολ-ύ-πτω, scel-tan,* quae tamen compositio, ut mihi quidem videtur, nimis arcessita est neque sententiam *calvendi* verbi recte exhibet. Etenim id neutiquam *laedere* proprie significat, sed "fraudare, decipere", quae notio huic verbo sane inest etiam locis: "*Sopor manus calvitur*" (Plaut. Cas. II, 2, 4), "*Calamitas arvas calvitur*" (Pacuv. apud Non. p. 192), in quibus Corssenus falso putat *calvitur* idem esse ac *laedit.* Testatur etiam nomen *calumniae,* quod Corssenus recte ex verbo *calvi* derivandum esse statuit, notionem radicis non esse *laedere,* sed *fraudare.* — Melius vix *Benfeyo* contigit, qui *calvi* cum graeco verbo *κωλύ-ειν* comparat (lex. rad. II, 287), quam quidem comparationem *Curtius* (elem. 514) "non ineptam" vocat. Quid vero commune notiones horum verborum habent? — Opinionem *Nonii Marcelli,* "*calvi* a calvis mimicis tractum esse, quod sint omnibus frustratui" (p. 6), vix est cur commemorem. — Equidem *calvi* comparaverim cum verbis *cel-are, oc-cul-ere* (*oc-culu-i,* cf. *sal-io, de-sul-tum*), *cla-m* (proprie cal-im), *καλύπτειν* principio id "tegi, occuli" significasse ratus. Vox *calumniae* quoque tecti et secreti aliquid designat neque notio fraudationis non facile ex occulta actione existere potest. Neque scio an significatio principali notioni proxima insit huic verbo in lege duodecim tabularum: "*si calvitur pedemve struit, manum endo iacito*".

3) *Expergisci.* Vox nativa huius verbi *expergere* (pro *ex-per-reg-ere.* cf. *ex-per-rec-tum*) idem ac *expergefacere* denotans a nonnullis scriptoribus latinis usurpatur. *Expergisci*

igitur idem fere quod *somno excitari* principio expressisse apertissime elucet.

4) *Fatisci.* Quod verbum sine dubio *dissolvi* primo significavit, ut ait *Lucretius* (de rer. nat. V, 309): "*non delubra deum simulacra fessa fatisci* (cernis)?" Inde translate pro *fatigari*, *fessum esse* dici coeptum est. Cum vero notionem plane intransitivam induisset hoc verbum, scriptores posteriores activam eius formam usurparunt. — Verbi compositi *defetisci* forma praesentis *defetiscar* semel tantum (Terent. Phorm. IV, 1, 23) legitur, sed et participium *defessus* et tempora cum ea forma composita saepius a scriptoribus adhibentur. — Ex eadem radice, qua *fatisci*, exierunt *fati-gare*, *ad-fatim*, *χα-τί-ς* alia (cf. *Corssen.* de pronunt. 159, 430; Symb. 216; *Curt.* elem. 190; *Pott.* lex. rad. I, 88 sqq.).

5) *Frui.* Casus ablativus, qui huic verbo additur — hic enim sine dubio, id quod infra videbimus, est usus antiquissimus — luculenter ostendit hoc verbum patiendi notionem principio habuisse, sed ad quam radicem referendum sit non ita elucet. *Donatus* (ad. Ter. Eun. IV, 7, 46) opinatur "*frui* proprie esse *vesci* a *frumine*, quae sit summae gulae pars: per catachresin autem dici de eis etiam, quibus non vescamur", neque minus mirabile *Forcellinus* (tot. latin. lex. II, 350) "*fruor* proprie esse frango mihi et comminuo dentibus, a *fruo* pro *frao*, ex quo *frago*, dein *frango*". Linguarum investigatores recentissimi, *ut Ascolius* (Kuhn. Annal. XVII, 337), *Schweitzero* (Kuhn. Annal. II, 381), *Curtius* (elem. 176), *Corssenus* (de pronunt. I, 41, 87; Symbol. 56; Addit. 82 sq.), *Pottius* (lex. rad. III, 538) *fruor* ex *fruguor* exstitisse putant eodem modo quo *vivo (vixi), co-niveo (conixi).* Tantum videtur esse certum, *g* litteram post se semivocalem *u* gignere et postea ipsam excidere posse (cf. Corssen. de pronunt. I, 85), quod etiam verbis, quae iam attulimus, probatur; sed in dubitationem sane vocari licet, num revera ambae litterae potuerint oblit-

terari. Multa saltem sunt vocabula, in quibus litteras *uo* coniunctas esse constat ut *uva*, *uvesco*, *uvidus*, *fluvius*, et in verbis *fluo (fluxi) struo (struxi)*, quae fortasse quispiam testes proferre voluerit, et *Curtius* (elem. 546) et *Corssenus* (Symbol. 71; cf. etiam de pronunt. I, 87 adnot.) consonam gutturalem esse putant radicis accessionem, quam quidem Corssenus nomine "Nominalbildung", Curtius "Wurzel-determinativ" vocat, ideoque rationem eiusmodi esse ac radicum *ju* (colligare) et *jug* (iungere). — Equidem haud scio, an *fruor* ex *frugior* evaserit, quae forma in *fruior* (cf. *maior* pro *magior*, *aio*, *ad-ag-ium*, *meio*, *mingo*, Corssen. de pronunt. I, 90) et postea in *fruor* (cf. *senatuis*, *senatûs*, *senatui*, *senatû* Corssen. de pronunt. II, 737 sqq.) mutata sit. Ea vero *i* littera, quae in praesente excidit, in participio *fruitus* et formis inde derivatis (*fruiturus* Cic. Tusc. III, 17, 38) remansit. *Frugio* ita *fructum fero*, *juvo* expressisse videtur, (frugior) *fruor* vero *juvor*, *adjuvor*, unde postea exorta est notio *voluptatis*. — Num ad hanc radicem verbum gothicum *brukjan*, german. *brauchen* (suet. *bruka*), ut omnes voluerunt, pertineat, valde dubito, nam *brukjan* id quod *uti* significat, quod quidem verbum tantum a *frui* distat, ut dicere possit *Florus* (II, 6, 21): *Hannibal cum victoria posset u t i*, *f r u i maluit*, et *Seneca* (de vita beata c. 10): *tu voluptate f r u e r i s*, *ego u t o r*. Quid quod vox germanica *Frucht*, suecica *frukt* probant litterae latinae eandem litteram linguarum germanicarum in hac radice respondere. — *Pottius* (lex. rad. III, 538), *Schweitzerus* (Kuhn. Annal. II, 381; XIII, 312), *Kuhnius* (Annal. V, 218) alii *frui* cum radice sanscrita *bhuǵ* comparaverunt. Quamquam significatio bene convenit, equidem non crediderim hanc coniecturam defendi posse, nam comprobatum non est *r* litteram sua sponte quodammodo in verbis quibusdam natam esse. *Pottius* quidem testes affert verbum latinum *frangere* et sanscritum *bhanakti*, cui consensit *Leo Meyerus* (Grammat. compar. I, 373). *Curtius* tamen hanc compa-

rationem in dubitationem vocat (elem. 494) et *Corssenus* prorsus negat fieri posse, ut *r* littera inseratur (de pronunt. II, 1010).

6) *Fungi.* Radix *bhuǵ*, de quo modo mentionem fecimus, recte sine dubio cum *fungendi* verbo a multis comparatur, ut a *Pottio* (lex. rad. III, 538), *Fickio* (lex. compar. I, 139), *Schweitzer-Sidlero* (Kuhn. Annal. XIII, 312). Sensus oblectationis, qui verbo sanscrito subest, plane fere oblitteratus est in verbo latino (*Tacitus* tamen dicit in hist. II, 55: *gaudio fungi*) et notio negotii sola restat, sed principio certe occupationem voluptate uberem *frui* expressit. Ablativus instrumenti, qui huic verbo additur, prorsus adducit, ut significationem principalem formae passivae respondisse putemus. Sanscritum quoque verbum medialem habet formam et cum instrumentali coniungitur.

7) *Gradi.* Quam ad radicem *gradi* verbum spectet, valde ambigitur. *Fickius* (lex. compar. I, 61) radicem ponit *gardh* (= appetere, cupere, avidum esse), ex qua exit verbum sanscritum *gṛdhjati.* Quod quamquam forma non vetat, tamen difficillimum est intellectu, quomodo ea notio notioni verbi *gradior* respondeat. Reicienda igitur sine dubio est haec coniectura, ut *Corssenus* quoque voluit (de pronunt. I, 809), qui radicem *skra* posuit, eam verbo sanscrito *udadhi-krâ* inesse arbitratus ad eamque et *gradi* et verbum gothicum *skreitan* et germanicum *schreiten* rettulit (de pronunt. I, 278, 809; Symbol. 457; Addit. 241 sq. Verbi etiam suecani *skräta* mentionem facit; id vero verbum cum in lingua suecana non inveniatur, in verbum usitatissimum *skrida* corrigendum est). *Curtius* quoque *gradi* et *schreiten* comparat (elem. 655). Sed ut sit verum, litteram *c* in *g* molliri posse, quod vix dubitandum esse videtur (cf. Curt. elem. 655 sq.), difficultates tamen restant, quae hanc comparationem dubiam faciant. Primum ne unum quidem verbum tertiae coniugationis in *io* desinens invenitur, quod intransitivum sit; unde concludi potest significationi, quam

habet verbum *gradi* intransitivam, transitivam notionem formae activae respondere debere; tum vero omnia substantiva linguae latinae, quae in *dus* exeunt, ut *ludus*, *modus*, *idus*, ostendunt, *d* litteram non esse suffixum quoddam, ut *Corssenus* existimat, sed revera pertinere ad radicem. — Equidem radicem *skard* posuerim, ad quam refero verbum sanscritum *kûrdatê* (= salit), graecum κραδάω vel κραδαίνω (= κλαδάω, κλαδάσσω), lituanicum *sklandau* (= librari, vacillare). Iam *Doederlinius* (lex. synon. VI, 148) *gradior* et κραδαίνω conferenda esse coniecit, quod magis adducor ut credam, cum etiam vox latina *gladius*, quae ab eadem hac radice vix separari potest (cf. vocabula eiusdem notionis, hibernicum *claid-eb*, lituanicum *kard-as*, slavicum *koruda)* ostendit *c* litteram huius radicis in *g* mollitam esse in latina lingua. *Gradi* igitur id fere, quod *se versare*, *movere* principio significasse crediderim.

8) *Implicisci* = implicari.

9) *Irasci* = ad iram impelli, iratum esse.

10) *Labi.* Etiam in lingua sanscrita radix *lab* sive *rab* invenitur, unde verbum medialis formae *lambatê* (= *rambatê*) idem quod *labitur* valens deducitur. *Labi* sine dubio eodem modo factum est intransitivum ac "*ferri*, *fundi*, *rumpi*", alia, quae motum exprimunt, neque *labere* aliud nisi *deicere* vel simile quoddam denotaverit.

11) *Liqui.* Huius verbi eadem plane ratio est ac *labendi* verbi prorsusque verbo *fundi* respondet. Lexicographi *liqui* id quod *liquidum esse* censent, quid quod etiam *Pottius* (lex. rad. I, 609) hoc verbum germanice reddit: "*flüssig sein*". Quod tamen falsissimum est, nam *liqui* neutiquam *statum*, sed semper *motum* significat, ut in exemplis: *Toto corpore sudor liquitur* (Verg. Aen. IX, 812 sq.); *Atro liquuntur sanguine guttae* (Aen. III, 28); statum autem Romani verbo *liquēre* denotarunt. — *Pottius* (lex. rad. I, 609) pro radice habet *li* (= liquidum esse), quam rem *Corssenus* in dubio ponit *c* litteram radicis esse contendens (de pronunt. I, 503).

Curtius (elem. 422) suspicatur *liqui* et *linquere* ad eandem radicem esse referenda ideoque cum graeco verbo *λείπειν* comparanda. Id sane dubitari potest, sed a *liqui* vix est seiungenda radix *ric* in lingua zendica *fundere* significans, quare *Fickio* haec verba conferenti (lex. compar. I, 168) prorsus assentior.

12) *Loqui.* *Curtius* (Kuhn. Annal. III, 158, 407; elem. 151) *loqui* comparat cum verbis sanscrito *lapami* (= loquor, queror), graeco *λάκειν,* slavico *reka* (= loquor), neque obstant sane formae, quominus ea verba conferamus. Usitatissimum enim est, et *r* in *l* et *c* in *p* mutari, quod satis superque probaverunt homines docti, qui in linguis comparandis sunt versati. Itaque complures non dubitarunt hanc Curtii compositionem veram habere. Mihi id non prorsus persuasum est, cum ita intellegi vix possit, cur lingua latina usa sit forma deponentiali, quamvis ne ipse quidem habeam, quomodo hoc verbum interpreter. In posterum igitur haec quaestio est differenda.

13) *Menisci.* Quod verbum a verbo inusitato *meno* (cf. *me-min-i*) exortum tantummodo in compositis *com-minisci*, *e-minisci*, *re-minisci* adhibitum est. *Meno* sine dubio significavit *meditor*, *cogito*, id quod et vocula *mens* et perfectum *memini* (= meditatus sum ideoque reminiscor, recordatum habeo) et multa verba linguarum cognatarum ex eadem radice profecta affirmant (cf. Curt. elem. 291). *Meniscor* igitur *ad meditandum adducor*, *moneor* proprie denotat actumque deinde exprimit, qui caussa aliqua obiecta efficitur, *memini* vero perpetui aliquid, quod subiectum memoria tenet. — Eodem fere modo in lingua suecana natum est *minnas* (= *menisci*, *på-minna* = *monere*).

14) *Mori.* Radix huius verbi, quae in omnibus linguis indogermanicis invenitur, *conterere* videtur significare. Ex ea emanant verba sanscrita *maratê*, *mṛjatê* (= moritur), *mṛnati* (= interficit), graeca *μάρ-να-μαι*, *μαρ-αίνω*, gothicum *maur-th-r* (= caedes), germanica *morden*, *Mord*, suecana

mörda, mord alia (cf. Curt. elem. 66, 111, 309; Kuhn. Annal. I, 305; Pottii lex. rad. II, 1, 522; Westergaard. rad. sanscr. 65). *Mori* idcirco principio id fuisse videtur quod *conteri, interfici.* — *Boppius* cum *i* litteram in *morior* reliquum esse terminationis passivi — id quod *ja* in sanscrita — opinatur (Gramm. compar. III, 82), falsus sine dubio est, nam aliud quidquam non est *i* littera in hoc verbo, quam in verbis *capio*, *cupio*, *facio*, *iacio*, aliis.

15) *Nancisci.* Mihi non dubium est, quin qui verbum graecum ἐ-νέγκ-εσθαι cum *nancior* (unde *nancisci* aperte fluit) compararint, recte omnino diiudicarint; quare *nancior* idem valuisse videtur ac *feror*, *adeo* (ad aliquem vel ad aliquam rem) indeque *adipiscendi* vim consecutum esse. In sanscrita lingua et *adit* et *obtinet* significat verbum *nakshati* (Westergaard. rad. sanscr. 289), quod e radice *nak* (cf. nac-tus) exit, quae radix simplex apparet in verbo *naçati* (= nanciscitur) et littera *s* addita in *nakshati.* In aliis quoque linguis cognatis eadem radix reperitur, velut in lingua lituanica *nesz-ù*, *nèsz-ti* (= fert, gerit), lettica *nâk-u*, *nâk-t* (= venit), gothica *ga-nauhan* (= germanicum *hin-reichen, hin-langen)* alia (Fick. lex. compar. 1, 107).

16) *Nasci.* Dubitandum non est, quin *nasci* e *gnasci* sit ortum ideoque ex eadem radice profectum ac *gigni*, cuius praesens reduplicatum est *(gi-gen-o*, cf. *gen-ui*, *genitum)*. Itaque *nasci* idem fere est ac *gigni.* — In lingua suecana plane eodem modo passivum *födas* (= *nasci)* deponens factum est, *föda* vero *gignere* significat.

17) *Niti.* Multa de hoc verbo *Corssenus* disputavit (Symbol. 20 sq.; de pronunt. I, 83) rationibus ille probans firmis non posse fieri, ut *nitor* e *genu* manaverit, quod plurimi et antiquiores et recentiores voluerunt homines, nec inopportune monens comparato *conivendi* verbo lucem etiam verbo *niti* afferri, utpote quae formas eodem modo effictas habeant ambo. Radicem enim *nic* esse ponendam, ut ad formas *co-nixi*, *nixus* veniamus, quam revera in *nic-ere* re

periamus. Sed in inscriptionibus quibusdam retentam et a grammaticis commemoratam esse formam *gnixus*, unde concludere liceat *g* litteram cecidisse (cf. *nascor*, *gnascor*) ideoque radicem *gnic* esse principalem, quod quidem affirmet verbum quoque gothicum *hneivan* (= germanicum *neigen*), in quo *g* littera more usitato in *h* extenuata sit. Qua in re Corsseno prorsus assentior. Qui tamen cum praesens *nitor* ex eadem radice deducere conatur, mea quidem sententia falso ratiocinatur. Vult enim ille radicem *niv*, quae a *nic* nata sit, aeque ac *viv (viv-ere)* a *vic (vixi)*, *fiv (fivere* Fest. p. 92) a *fic (fixi)*, *t* littera auctam esse, ut in verbis *plec-t-ere (im-plic-are)*, *pec-t-ere* (*πέκ-ειν*), *nec-t-ere* (german. *nah-en)*. Sed in his verbis omnibus littera gutturalis retenta est, quare verisimillimum videtur futurum fuisse, ut eodem modo *nic-t-ere* formaretur (eiusmodi formam *Festus* p. 176 revera memorat Ennium usurpasse), si lingua hanc viam esset ingressus. Sed tamen aliter, nisi fallor, res se habet. *Fickius* enim haud dubie rem, ut aiunt, acu tetigit, cum et *nitor* et sanscritum *nâthati* (= praesidium petit) et gothicum *nith-an* (= fulcire) comparaverit (lex. compar. I, 111), quamobrem *niti* id quod *fulciri* proprie videtur valuisse. Neque ita notio *nitendi* et principalis et translata non apertissime cernitur. Ex ea radice participium *nisus* (pro *nit-sus)* exiit. *Nixus* vero ex analogia significationis postea pro participio huiusce verbi adhiberi potuit. Cuius significatio principalis *inflexus* vel *inclinatus* sine dubio fuit ideoque dictum est *nixi di*, quo de glossemate apud *Festum* (p. 174, 177), legitur: "*nixi di* appellantur tria signa in Capitolio ante cellam Minervae genibus nixae", qua in interpretatione *Festus* certe errat, cum rationem habuerit notionis vocabuli *nixus*, quae ei inerat posteriore tempore. Facile enim quisque intellegit nimis artificiosam esse eius explanationem verisimiliusque videri, deos ita esse appellatos, quod inclinatum statum haberent. Quam prope sententia vocabulorum *inclinatus in aliquam rem* ad sensum vocum *fultus aliqua re*

accedat, non est opus uberius ostendere, quapropter facile est intellectu, quomodo participium *nixus* ad *nitendi* verbum relatum fuerit, cum praesens *nicere* notionem plane aliam retineret.

18) *Oblivisci.* Diu multumque disceptatum est, quam ad radicem *oblivisci* pertineret. *Leo Meyerus* (Kuhn. Annal. XIV, 81) *livisci* putat litteram gutturalem ante *v* amisisse et idcirco cum *linquere* apte componi posse, huiusque verbi notionis rationem eandem esse ac verbi graeci *λανθάνεσθαι*, *λήθεσθαι* (*λανθάνομαι* germanice reddit: *ich werde verlassen, ich vergesse*). Qua in originatione acquiescere vix possumus, neque si formam solam spectamus, nam participium *oblitus* satis confirmat litteram gutturalem radici non inesse, cum nulla sit caussa, cur ante *t* extrudatur, neque si notionis rationem habemus, nam nimia arte facta eius videtur explanatio. Neque, quantum scio, sententiam eius postea secutus est quisquam. — *Pottius* (lex. rad. 1, 605 sq.) radicem huius verbi *li* (= liquefacere) statuendam esse opinatur et *oblivisci* germanice vertit: "einen Gedanken in sich *übertüncht* tragen oder ihn verloren haben". *Corssenus* vero recte, ut mea quidem fert opinio, sententiae illi adversatur, cum et littera *v* ita difficultatem paret et notio quoque male conveniat. Apposite ipse *oblivisci* ad *liv-ere*, *liv-or*, *liv-escere*, *liv-idus* referens hoc verbum "lividum fieri" primo significasse arbitratur (de pronunt. I, 533).

19) *Pacisci.* In origine huius verbi repetenda omnes consentiunt grammatici radicem indogermanicam *pak* ponentes, quae iam pridem in *pag* attenuata sit. In lingua sanscrita inde prodit *paçajati* (= ligat), in graeca *πήγ-νυ-μι* (*ἐ-πάγ-ην*). In latina lingua verbum cum *n* littera dilatatum *pango* (cf. *pe-pig-i*, *pac-tum*) usitatius factum est, de quo verbo apud *Festum* (p. 213) legimus: "*pangere* = *figere*". *Paco* semel tantummodo et quidem in lege XII tabularum invenitur, ut testatur *Festus* (p. 363), qui Verrium scripsisse

dicit: "si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto". *Gellius* quoque eisdem verbis e memoria huius legis mentionem facit (Noct. Att. XX, 1, 14), nisi apud eum cum *Hertzio* legendum potius est: "ni cum e pacto". Ex hoc verbo *paco* (vel fortasse *pacio*) procreatum est *paciscor*, quod principio *nector*, *ligor* denotaverit, postea vero translate *obligor*, *convenio*, *stipulor*. De verbis huic cognatis legas *Corssenum* (de pronunt. I, 393), *Curtium* (elem. p. 251 sq.), *Fickium* (lex. compar. I, 113).

20) *Pasci.* Activum *pascere*, quod saepissime adhibetur, de pastore, ut constat, dicitur, qui greges in pascuis custodit vel eas alit. Passivum *pasci* igitur proprie exprimit *pabulo ali* indeque vim *carpendi*, *edendi* consecutum est. Quod cum ita esset, cum accusativo coniunctum invenitur ideoque a grammaticis inter deponentia numeratur.

21) *Pati.* Saepissime linguarum investigatores huius verbi mentionem fecerunt ex more illi id cum verbo graeco παθεῖν comparantes, utpote quorum notio et sonus congruant. Ita enim iudicant *Kuhnius* (Annal. I, 514), *Lottnerus* (Kuhn. Annal. VII, 176), *Mistelius* (Kuhn. Annal. XVII, 191), *Schweitzer-Sidlerus* (Kuhn. Annal. XI, 74) alii. *Curtius* vero iam diu est quod eiusmodi comparationem in dubitationem vocavit (Kuhn. Annal. II, 335), *t* litteram in lingua latina litterae graecae ϑ non respondere contendens, quam rem postea in libro suo de elementis graecae linguae (p. 389 sqq.) latius explicavit. Id cum illo convenit *Grassmanno* (Kuhn. Annal. XII, 86 sq.) et *Aufrechtio*, qui quidem si quis comparare velit inter se verba *pati* et *παθεῖν*, id parum critice fieri dicit (Kuhn. Annal. IX, 232). Sed ne unus quidem eorum in his verbis diiudicandis rationem eius rei habuit, quod *pati* passivum est, παθεῖν vero activum, cum omnes nescio quo casu nata esse deponentia putare videantur. — Recta autem via et ratio, qua *patiendi* verbum enodari possit, aperiri mihi videtur aliis verbis eiusdem soni cum hoc verbo comparatis. Potest enim *pati* formae

ratione habita ad eandem radicem referri, quo *patēre* et *pandere*, quorum sunt cognata graeca *πίτ-νη-μι* et *πετ-άνν-υμι*. Illa vero a radice *spâ* (= tendere, germ. *spannen*) videntur esse deducta (cf. Fick. lex. compar. I, 115), cuius radicis multa sunt verba in linguis indogermanicis fere omnibus (v. Fick. lex. compar. I, 216, 413). Itaque *pati* proprie significaverit *extendi* et inde translate "*acri contentione affici, contendere, laborare*". — In graeca lingua verbum *πένομαι*, quod ab eadem radice manavit, eadem modo notionem *contentionis, laboris* accepit (v. Curt. elem. 255). *Pati* de omnibus molestiis dici coeptum est et vi transitiva induta principalem significationem prorsus amisit, *πένομαι* vero de paupertate fere sola (subst. *πόνος* notionem latius amplificavit) usurpatum est.

22) *Am-plecti, circum-plecti, com-plecti*. Verbum simplex *plectere* (= *πλέκειν*) inusitatum est et participium solum *plexus* nonnumquam poetae adhibuerunt, sed composita eius *amplecti* et *complecti* saepissime apud auctores Romanos inveniuntur. — Praefixum *am* in *amplecti* idem esse ac voculam graecam *ἀμφί* non est cur moneam (cf. Curt. elem. p. 275).

23) *Proficisci*. Verbum *proficere*, unde *proficisci* deducitur, proprie valet *promovere* aliquid. Forma passiva igitur subiective "*se* ipsum *promovere*" exprimit neque aliter se habet ac *ferri, vehi* alia.

24) *Queri*. Multi homines docti, ut *Benfeyus* (Kuhn. Annal. II, 221), *Schweitzer-Sidlerus* (Kuhn. Annal. XII, 323), *Fickius* (lex. compar. I, 53) *queri* componunt cum radice sanscrita *çvas* (= spirare, anhelare). *Ascolius* (Kuhn. Annal. XVI, 209) duas huiusce notionis radices *kas* et *svas* discernit, ad illam verbum latinum *queri* (rad. *ques*), ad hanc verbum *spirare* (rad. *spis*) referens. Mihi quidem haec interpretatio non placet, cum notiones *spirandi* et *querendi* minime congruant. In *queri* enim sensus *clamoris* dominatur, ex *spirando* vero facile venimus ad notionem patiendi,

maerendi, aegrotandi, defatigandi et quae sunt similia, non ad notionem querendi, deplorandi. Mihi vix est dubium, quin ad radicem *kas* (= ferire, pungere) *queri* pertineat, qua ex radice in sanscrita lingua natum est *çasati* (= ferit, laedit, Westerg. rad. sansc. 311), in graeca κεσ-τός, κέσ-τρος alia. — Itaque *queror* proprie est *ferior*, *pungor*, unde notio *querendi*, *lamentandi* facillime deducitur.

25) *Ringi.* Principio hoc verbum eodem sensu fuisse ac findi, etiam substantivum *rima*, quod inde derivatur, (cf. Pott. lex. rad. III, 601; Corssen. de pronunt. I, 639), testatur. Notio illa aperte inest huic verbo in enuntiatione, quae apud *Varronem* legitur (de re rust. I, 45): "radices aere frigidiore *ringuntur*", ubi tamen *Klotzius* (lex. II, 1180) significationem affert veritati plane contrariam "*sich zusammenrunzeln* oder *ziehen*".

26) *Sequi.* Iam inter omnes convenit ἕπομαι et *sequi* separari non posse. Sexcentis enim exemplis docetur *c* in *p* mutatum esse (v. Curt. elem. 415 sqq.; Corssen. de pronunt. I, 116 sqq.) neque inusitatum est σ in spiritum asperum verti, ut ὗς, σῦς, *sus*, ἡμι, *semi* (cf. Curt. elem. 23 sq., 382). In lingua sanscrita duo verba verbo *sequi* cognata inveniuntur, *si-sak'-mi* et *sap-â-mi*, quae e radice eiusdem notionis duplici *sak* et *sap* (= iungere, copulare) exierunt. *Sequor* igitur proprie denotasse *iungor* vel *me iungo* unusquisque videt. Indicem verborum e radice *sak* profectorum legas apud *Curtium* (elem. 420), *Corssenum* (de pronunt. II, 153 sq.), *Pottium* (lex. rad. III, 304 sqq.), *Fickium* (lex. compar. I, 192. — *Benfeyus* (Kuhn. Annal. VII, 56) iusto plura refert verba ad hanc radicem.

27) *Ulcisci.* Incredibile non est, quod *Curtium* semel audivi opinantem, eandem radicem subesse huic verbo atque graecis ἄλ-αλκ-ε, ἀλέξω, ἄλκη, quae quidem radix ad radicem *arc* in *arceo*, ἀρκέω prorsus quadraret. Constat enim in omnibus linguis indogermanicis *l* litteram saepius ex *r* natam esse (Corssen. de pronunt. I, 221sqq.; Symbol. 377 sqq.; Addit. 278

sqq.; Schleicher. Compend. 179, 226, 257, 286, 298, 318, 335); accedit, quod notio verborum ἀρκεῖν et ἀλάλκειν prorsus congruunt. Si res ita sese habet, *ulcisci* proprie *tegi*, *se tueri* videtur significasse et postea *poenas repetendi* notionem accepisse. In lingua graeca eadem cadit ratio in verbum τιμωρεῖσθαι, nam τιμωρεῖν "opitulari, iuvare" proprie denotat. Quare notionem *ulciscendi* primo ita acceptam esse videas, ut Graeci et Latini homines de sui ipsorum defensione cogitaverint. — In lingua suecana *ulcisci* verbo deponenti *hämnas* redditur, quod apertissime ortum est ex "*hämna sig*", qui loquendi usus etiamnunc non plane oblitteratus est.

28) *Uti*. Clare et evidenter *Curtius* docuit, quomodo *uti* sit interpretandum (Kuhn. Annal. IV, 237 sq.). Habet enim lingua sanscrita vocem *ûtis*, cui notio *auxilii*, *praesidii* subest. *Ûtis* e radice *av* (praes. *avati*) derivatum est, quae *iuvare*, *tueri* significat (Westerg. rad. sanscr. 255) ideoque ex *avitis* contractum est. Uti vero sanscritum *avi-s* in latina lingua *ovis* auditur, ita vocabulo sanscrito *avitis* latinum *ovitis* respondere potest, unde *ûtis* oritur aeque ac *prûdens* natum est e *providens*. Ex illa explanatione etiam forma infinitivi vetustior *oitier* facile intellegitur. Per hos enim gradus, *ovitier*, *oitier*, *uitier*, *utier* ad *ûti* videtur esse perventum (cf. Curt. elem. p. 669). Itaque *uti* proprie *adiuvari* valuit, quod quidem etiam ablativus instrumenti, qui huic verbo additur, amplius testatur.

29) *Vesci*. Vix dubitabit quisquam, quin *vesci* idem sit atque *ali*. *Tertullianus* semel (de ieiun. cap. V) adhibet activum *vescere*, ut idem quod *alere* significet. Sed auctoritas eius sola ad illud probandum non satis esset, nisi etiam ablativo, quocum hoc verbum coniungitur, evidenter affirmaretur id revera denotaturum fuisse activum, si Romani eam formam usurpassent.

Iam omnia deponentia tertiae coniugationis percurrentes varias, quas supra observavimus, significationes formae passivae in his quoque deponentibus vidimus reperiri, si

ad formam uniuscuiusque verbi primariam descenditur. In unoquoque verbo indagando me firmissimi certissimique aliquid investigasse, quod omnibus probetur neque impugnari possit, quamquam non possum sperare, tantum mihi tamen videor demonstrasse, verba illa deponentia nec quasi *mutua* et aliis deprompta esse linguis neque ad arbitrium quoddam linguae et ad libidinem orta, sed aeque linguae latinae convenienter nata esse ac formas linguarum alias. Ne ei quidem, qui omnibus rebus, quaecumque comparatis inter se linguarum complurium verbis concluduntur, maxime diffidunt, negare potuerint notionem haud paucorum deponentium quae iam commemoravi prorsus in promptu esse neque eam notioni formae passivae non respondere ideoque fieri potuisse, ut ex activis exierint deponentia. Et valde nos sublevamur perscrutantes structura, quae est propria nonnullorum deponentium, quorum ortus maxime est absconditus, verborum, dico, *frui*, *fungi*, *niti*, *uti*. Tenendum quidem est memoria et *fungi* et *frui* praesertimque *uti* etiam cum accusativo nonnumquam fuisse coniuncta; qui vero inde concluserunt hanc structuram fuisse illa priorem, non bene naturam linguae cognoverunt. Leges enim in universa lingua dominantur neque immoderata licentia unus aut alter casus verbum subsequitur, sed significationi forma obtemperat. Iam vero notissimum est significationes vocabulorum cum tempore saepius mutari, ideoque et intransitiva verba transitivam vim induere posse et transitiva suam amittere, quam ob rem etiam constructio eorum varietur necesse est. Si rem accuratius perpendemus, accusativum inveniemus ablativo nonnumquam successisse, quod etiam ad rationem bene quadrat. *Vergilium*, qui *colubrum mala gramina pastum esse* dicat (Aen. II, 471) structura aetatis posterioris usum esse, quam cum ait "*frondibus et victu pascuntur simplicis herbae*" (Georg. III, 528), nemo non concedet. Neque quisquam contenderit *Attium*, qui scripserit *eandem vescatur dapem* (Non. 415) primo usui magis serviisse

quam qui *vescendi* verbum cum ablativo coniunxerint. Ac facile intellegitur, quid in caussa fuerit, cur constructio variaretur. Cum enim *vescor, pascor* id quod *edo* valere coepissent, facile cum accusativo coniungi potuerunt. In eiusmodi caussis fieri posse, ut nova constructio vetustiori praevalere inceperit, omnes linguae ostendunt, sed interdum etiam usus antiquus aut solus rursus obtinet imperium, aut una cum usu loquendi posteriore dominatur, quamvis non iam qui loquitur cognoverit, unde nata sit structura illa veterrima. Ita Germanus quisque etiamnunc dicit: *ich bedarf deines Rathes, ich gedenke meines Glückes, ich geniesse des schönen Trankes* (etiam *ich geniesse den schönen Trank*), etiamsi nescit, quare genitivus in his exemplis adhibendus sit. — In latina lingua loco genitivi, dativi, ablativi, qui prius usurpabantur, aetate linguae posteriore haud raro potitus est accusativus, cum transitiva notio praevalere coepisset; dativus vero accusativo successit — praepositionum hic non facio mentionem — vi verbi transitiva oblitterata, quo quidem dandi casu res indicata est, cuius caussa vel cuius commodo actio effecta erat. Verumtamen non putes cuivis ablativo — nam de hoc casu hic potissimum quaeritur — accusativum succedere potuisse, sed soli ablativo *instrumentali*, quo vel adiumenta denotata sunt vel caussae, quibus aut excitabatur actio aut perficiebatur. Ac notio quidem caussae etiam non mutata significatione verbi in notionem obiecti transire potuit, quando *sensum* quendam exprimebat verbum, sed sententia verbi aliquatenus immutaretur necesse erat, si id, quod prius instrumentum expresserat, mente perspiceretur, ac si res esset actioni obiecta, neque id factum est nisi in forma passiva, cui notio plane subiectiva inesset, ut prorsus idem quod multa verba activa referret. In oratione soluta id deponentibus fere solis contigit, quorum significatione propria obscurata vis quaedam eidem cognata increbruit. Sed neutiquam factum est neque fieri potuit, ut ablativus verbo aliquo intransitivo facto in

locum accusativi intraret. Si verba illa, de quibus quaerimus, respicies, significationem illorum posteriorem talem esse videbis, nulla ut fuerit caussa, cur ablativum postularent, ideoque usum ablativi necessario antiquiorem esse intelleges eoque tempore exstitisse, quo verba illa propria fuerint notione. Qui igitur opposuerit accusativum his verbis iam antiquissimos scriptores addidisse, nihil efficiet, nisi ut probet verba haece iam tunc transitive adhiberi potuisse, quae quidem scientia maximi est momenti, si memoriam illorum verborum tenere volumus; hic vero acquiescere nullo modo possumus, cum originem variarum structurarum indagare conamur, sed longius est regrediendum habita ratione aliorum eiusmodi verborum et aliarum linguarum cognatarum. Si id fecerimus, ablativum verbis *fungi*, *frui*, *uti* additum multo esse accusativo antiquiorem nobis videtur persuasum iri. — Neque vero id solum tali comparatione evincitur, sed etiam apparebit ablativum illum testimonium originis horum verborum prae se ferre. Cum enim illo casu instrumentum quoddam exprimatur, quo actio verbi perficiatur, concludi potest deponentia illa ex activis esse profecta, nam ablativus instrumentalis nullis verbis mere intransitivis nisi motum quendam significantibus addi potest, ut *ire pedibus*, *volare alis*, *nare manibus*, sed saepissime omnis generis transitivis additur, quorum passiva forma tum indicatur, subiectum subsidio eius rei, quam ablativus denotat, actione verbi affectum esse. Utrum a subiecto ipso an ab alio quodam actio effecta sit, modo facta sit, nihil interest. Hac igitur ratione in deponentibus, quae cum ablativo coniunguntur, diiudicandis praebetur nobis et adiumentum, quo in origine eorum indaganda sublevemur, et obrussa quodammodo, ad quam res indagata sit exigenda.

Verum etiam alii parti quaestionis nostrae ex lingua latina aliquantulum subsidii possumus elicere. Fugit enim neminem in scriptis, quae ad nos pervenerunt, nonnullas inveniri etiam activas formas verborum, quae more

solito deponentiali forma efferuntur. Quamquam dolendum est saepissime ea verba hisce locis transitivam iam exuisse significationem; accedit quod haud raro activae illae formae vitio librariorum sunt tribuendae ideoque aut iam correctae aut posthac corrigendae sunt. Saepissime auctor solus est *Nonius Marcellus*, qui vix primoribus labris artem criticam attigerat et idcirco vera cum falsis perpetuo confudit. — Verba *primitiva* si primum perlustramus, quae sunt *calvi, frui, fungi, gradi, labi, liqui, loqui, mori, niti, pati, queri, ringi, sequi, uti*, omnia iam apud scriptores antiquiores reperimus. Ex quo numero trium verborum *loqui, pati, uti* in scriptis exstat activa forma et quidem *loquere, loquis* apud *Petronium* (46, 1), *patias* apud *Naevium* (auctore Diomede, Keil. Gramm. lat. I, 400), *patiunto* apud *Ciceronem* (de leg. III, 4, 11), *utito* apud *Catonem* (de re rust. 96,2; 107, 2; 123, 126). Atque si de *loqui* verbo volumus iudicare, nullius sane est momenti, quod Petronius, qui Nerone imperante fuisse putatur, activo usus est, cum iam inde ab Ennii temporibus forma deponentialis una in scriptis frequentissime usurpetur. Nisi forte etiam hic cum editoribus recentissimis scribendum erit: *tu, qui potes loqui, non loquere.* Reliqui loci plus videntur auctoritatis habere. Sed formae *utito* maxime diffido, cum apud eundem Catonem, immo in eodem libro *utitor* legatur (cap. 119, 127) et alibi aliae passivae formae. Mihi igitur verisimillimum videtur, quod aliis quoque placuit, Catonem semper scripsisse *utitor*. — Neque tamen scio an imperativus *activi* saepius in usu fuerit verborum, quae tantummodo quasi deponentia usurpantur; quod infra magis probare conabor. — Valde suspiciosum id quoque videtur, quod narrat Diomedes, Naevium dixisse in *Proiecto: "populus patitur, tu patias"*. Quid enim hoc sibi vult? Neque id omnes codices praebent. Etiam deponentium *compositorum* nonnullae activae formae commemorantur. *Nonius* enim (p. 473) apud *Plautum* (Epid. IV, 1, 16) legit *congredias*, sed *congrediar* sententia necessario poscitur, quam lectionem re-

vera dant libri manu scripti. Eodem modo vetustior scriptura *eloqueret* in versu quodam Ennii apud *Gellium* (Noct. Att. XII, 4) ex libris manu scriptis in *eloqueretur* emendata est. *O. Ribbeckius* quoque, qui *adgredite* a *Pacuvio* scriptum esse antea [1]) coniecerat, peccato deleto codicis scriptura nisus *aggreditur* scripsit [2]). Nec mihi dubium est, quin *aggredias*, quod apud Plautum (Trucul. II, 1, 40) invenitur, corrigendum sit, ut et detrimentum sententiae resarciatur et usus observetur Plauti, qui saepissime ad deponentium modum hoc verbum usurpaverit. Sed fieri potuit, ut *Ennius* verbo *regredere* agendi notione usus, ut testatur Nonius (p. 166), dixerit: "*quo — gradum regredere conare*"? Id saltem significationi huius verbi consentaneum est. Rectissime haud dubie etiam apud *Plautum* legitur: "*amplectitote crura fustibus*" (Rud. III, 5, 36) et "*circumdato me bracchiis, meum collum circumplecte* (Asin. III, 3, 106), et apud *Catonem: "foramina ubi feceris, laminis circumplectito* (de re rust. 21, 2), cum propria activi *plectendi* verbi significatio loquentibus incognita esse non potuerit, quando et participium *plexus* et verbum eiusdem radicis *plicare* in usu erat, neque locis illis mera activi notio non referatur [3]). Quae notio numquam hominem romanum latuit, quare scriptores aureae quoque aetatis passivam formam verborum *amplecti* et *complecti* interdum patiendi vi usurparunt. — Ex verbis *derivatis* in *sca* exeuntibus — ut iam ad ea veniamus — tria verba, quae sunt *fatisci*, *pasci*, *proficisci* separatim sunt tractanda, utpote quorum activa forma saepius usurpata sit. Quod variis ex caussis fieri potuit. Quo enim magis verbum nativum oblitteratur, ut non iam

---

1) In tragicorum romanorum reliquiis, quas anno 1852 Lipsiae edidit.

2) In tragicorum romanorum reliquiis, quas secundis curis Lipsiae a. 1871 typis exscribendas curavit.

3) Quae vera sit ratio formae *complectite*, quam Nonius (p. 472) Pomponium usurpasse dicit, certo statui non potest, cum nexus sententiae ex paucis verbis commemoratis non clareappareat.

quisquam sciat, unde ortum sit verbum aliquod, eo facilius forma et notio eiusdem mutatur. Velut accidit verbo *fatisci*, cuius scriptores antiquissimi formam semper adhibebant passivam, ut homines posteriores eam exuerint formam, cum significatio plane intransitiva facta esset neque iam quisquam suspicaretur, unde verbum illud emanasset et quae essent vocabula cognata. Aliis verbis prorsus idem non usu venit, ut activa fierent, sed locis singulis singulae activi formae nonnullorum eiusmodi verborum deprehenduntur (cf. *loquere, loquis* supra p. 65). Cuius rei illustrissimum est exemplum illud *Catonis* (de re rust. 151, 4): "*ubi germen nascere coeperit, tum demi (stramentis operiri oportet)*". Neque vero cuiquam non persuasum est *nasci* principio notionem mere patiendi habuisse! Ad similitudinem eius rei accedunt multa verba fennica — si tam distantia liceat comparare. Ita fennicum *kuivaan* (= torreo), quod rectissime sola agendi notione scriptores usurpant, in nonnullis dialectis pro verbo *kuivun* (= aresco) adhibetur, quando prima patiendi notio verborum in *-un* cadentium nunc penitus ignota est. Alia vero caussa, ex qua activum deponentium in usu esse possit, illi prorsus est contraria in eoque posita est, quod significatio vocis, unde natum est deponens, propria omnibus bene cognita est. Veluti enim, ut iam supra vidimus, verborum nonnullorum, quibus notio movendi subest, et activá et passiva forma ad sententiam subiectivam exprimendam usurpatur, ita verborum deponentium, quae ex huiusmodi activis exierunt, activa forma eidem usui paret. Mirabile igitur videri non potest, quod vetustissimi scriptores *proficisco* et *proficiscor* invicem usurparunt. Sic apud *Plautum* legimus: *proficiscor illico* (Merc. V, 2, 105), et *licet complecti priusquam proficisco* (Mil. glor. IV, 8, 19). Iam vero *Terentius*, nedum scriptores posteriores, semper passivo utitur, sed activum verbi nativi *proficere* intransitiva notione etiam apud *Plinium* invenitur, qui ait: *cum quinqueremis sola non proficeret*

(Nat. hist. XXXII, 1, 1.) *Pasci* denique a duobus illis *fatiscendi* et *proficiscendi* verbis multum distat, quippe cuius activum omnibus linguae aetatibus saepissime usurpatum sit et primaria quidem significatione transitiva, cui respondentem patiendi notionem in vim deponentium transisse supra (p. 58) observavimus. Quare nobis hoc verbo accurate observando vivida praebetur oriundi deponentis imago. — Ex reliquis illis deponentibus inchoativis perpauca sunt, quorum activum a scriptoribus videtur adhibitum fuisse. *Nonius* quidem nonnullas activi formas commemorat, sed omnia eius exempla talia non sunt, ut fide donentur. Ille (p. 474) e *Naevii* "Bello Poenico" locum praebet, ubi bis activum exstat *paciscendi* verbi, sed eae formae, ni fallor, illic aliam habent notionem quam quae deponentiali formae eius verbi subest. *Pacisco* enim proprie idem fere significare videtur ac verbum eiusdem radicis *pango*, unde vis *destinandi* [1]), *poscendi* facile explicatur, quae quidem vis verbis Naevii inesse videtur; *paciscor* vero *ligor*, *stipulor*, *convenio* denotat ideoque de mutuo convento refertur [2]). Nonii verbis nixi omnes lexicographi et editores etiam formam *ulciscerem* tradunt, versum quendam Ennii ita legentes: "*nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem*". Sed parum ea scribendi ratio habet auctoritatis, nam Nonius (p. 292) hoc exemplum affert, ut notionem *exanclandi* verbi indicet, neque verbi *ulcisci* mentionem facit magnam deponentium copiam commemorans, quorum activum apud scriptores invenerit. Librariorum igitur vitio hanc formam confidenter dederim. Id vero mihi non dubium est quin fieri potuerit, ut *Pomponius* et *Nigidius* activum *irascere* interdum usurparint, id quod testatur Nonius (p. 127), nam hoc verbum, quod ex verbo primae coniugationis derivatur,

---

[1]) Etiam verbum *destinare* primo *figere* valet.

[2]) *Ritschelius* et *Fleckeisenus* in *Plauti* Bacchidibus (IV, 8, 25, 29, 30) librorum scriptura neglecta activam imperativi formam *pacisce* cum *Bothio* scripserunt, sed infinitivum *pacisci* (vers. antec. 24) retinent.

statum quendam significat naturamque verborum deponentium ad primam coniugationem pertinentium aequare potest. Ad ultimum formam *indipisces* legit Nonius (p. 129) in *Plauti* Aulularia (IV, 10, 45), quae tamen forma in *inde posces* ex libris manu scriptis mutata est. Num etiam *indipiscet* (Pl. Asin. II, 2, 13), quod libri praebent, mutandum sit, decernere nolo.

Verum multo saepius quam activum verborum deponentium apud scriptores reperiuntur deponentia notione *patiendi* usurpata. Quod tamen admodum non videri potest mirum, si naturae passivi rationem habemus, qua quidem forma et intransitivam et patiendi notionem exprimi posse iam vidimus. Uti igitur nihil obstat, quin dicamus et *feror in aquam* et *feror aqua, ab hoste*, ita dictum esse invenimus non solum *pecus in gramine pascitur* et *pecus gramine* vel *a pastore pascitur*, sed etiam *aggredi aliquem pecunia* (Sall. Iug. c. 28) et *ab aliquo donis aggredi* (Cic. ap. Prisc. Gr. Lat. II, 383 K.), *hereditatem sum aptus* (Pl. Capt. IV, 1, 8) et *ingenio apiscitur sapientia* (Pl. Trin. II, 2, 88) et quae s. s. Saepissime *praesens infinitivi* passive adhibetur, et id imprimis accidit, quando infinitivus coniunctione copulatus est cum infinitivo verbi cuiusdam transitivi, unde fit, ut patiendi notio verbi deponentis clarior exstet. Cuiusmodi sunt exempla: *Sentio, pater, te calvi vocis similitudine*[1] (Pacuv. ap. Non. p. 6); *ostendemus res magnas sequi et appeti oportere* (Rhet. ad Herenn. III, 3, 5); *Quorum improbitatem aliquando retundi et non pati impunitate augeri non solum utile est reipublicae nostrae, sed etiam necessarium* (Cic. ad Famil. XII, 14, 3). Apud neminem scriptorum eiusmodi usus frequens fuit et plerumque in eis verbis fiebat, quorum quae fuisset activae formae transitiva notio unicuique eluxit. — Commentatores deponentia interdum vere

[1]) Mirabilis est hic locus apud Pacuvium, nam infinitivo *calvi* notione *patiendi* usurpato mox alia forma eiusdem verbi agendi sensu adhibetur. Pergit enim: *Sed quid conspicio? Num me lactans calvitur aetas?*

passive etiamtum interpretati sunt, cum structura impersonalis verbo auxiliari satis indicatur, ut huiusmodi locis: *Ferventer loqui est coeptum* (Coelius in epist. Cic. ad Fam. VIII, 8, 2); *Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, iure factum est* (Sall. Iug. c. 31); sed in talibus loquendi formulis tantummodo passiva *forma*, non *patiendi notio* necessaria est, quare eadem verba auxiliaria cum intransitivis coniungi possunt velut: *iri coeptum est*, *stari nequitur*, quem ad sensum accedunt etiam Gelliana illa (Noct. Att. I, 11, 3): *coeptum est in hostem progredi.* Huiusmodi igitur documentis patiendi vis deponentium non evincitur.

V. Deponentia contracta explorantur.

Sequitur nunc, ut inquiramus in deponentia ceterarum coniugationum, ad quas quae pertinent verba fere omnia contracta esse inter omnes iam constat. Magnae nobis esset utilitati in natura deponentium exploranda, quomodo haec verba extiterint accuratius cognosse, sed tantum abest, ut scientiae difficultates huic quaestioni adhaerentes solvere contigerit, ut etiamnunc quot capita tot fere sensus sint. *Boppius*[1]) primus tres illas coniugationes, primam, secundam, quartam, quae nominantur, decimae classi verborum sanscritorum respondere arbitratus radicem verborum huc pertinentium terminatione *aja* esse auctam posuit, quae terminatio in tres longas vocales *â*, *ê*, *î* sit contracta, ita quidem ut *a* in *a* et *e* discesserit et in *i* sit attenuata. Quam rationem, quae legibus quibus parent litterarum mutationes plane inservit, multi sunt secuti. *Pottius*[2]) vero eam valde dubiam existimat neque omnia saltem verba contracta ad classem illam decimam linguae sanscritae quadrare; praeterea res multas huc spectantes nondum esse exploratas. *Cors-*

---

[1]) Vergleich. Grammatik, Tom. I, p. 226 sq.; Tom. III, p. 96 sq.

[2]) Etymologische Forschungen (Zweite Auflage), Tom. II, p. 977 sqq.

senus[1]) secundam et quartam coniugationes, sicut Boppius proposuerit, ortas esse opinatur, sed primam coniugationem ex eodem fonte non emanasse, cum leges linguae latinae id vetarent. Neque scilicet in lingua latina et osca *i* litteram inter duo *a* excidisse, quin ulla vestigia reliquerit, neque duo *a* correpta in *a* longum confusa esse. Lubenter Corsseno id adsentior, in formis linguarum italicarum rationem esse habendam litterarum mutationum, quae in illis ipsis linguis proferri possint, neque id sufficere, quod auctoritate legum utamur, quas aetate linguarum antiquissima valuisse ponamus, sed in hac de qua quaerimus caussa Corssenus nihil protulit ad persuasionem appositum. Etenim ut concedamus recte se habere adnotationes eius de litterarum illarum mutationibus, eo neutiquam sententia Boppii refutatur, nam *a* longum in prima coniugatione ex duabus *a* litteris correptis contractum sit non modo non necesse erit, etiamsi terminationem *aja* radici adiunctam esse posuerimus, sed a vera fide maxime abhorret. Probat enim Corssenus ipse in tertia coniugatione *a* primarium in *o*, *u*, *e*, *i* attenuatum esse[2]). Quidni idem in verbis contractis factum esse credamus? Itaque *amas* non ab *amajas*, *amamus* non ab *amajamus* sunt derivanda, sed ab *amajis*, *amais (amâs)*, *amaimus (amâmus)* aeque ac *coicio* a *coiicio (iacio)*, *familiâs* a *familiais* simil. Neque magis probari potest, quod Corssenus ipse de ortu verborum primae coniugationis disputat. Vult enim ille omnia haec verba denominativa esse, quae e nominibus in *a* productum cadentibus terminationibus personarum solis additis prodierint[3]). Propria eius explanatio hanc sententiam refutat, nam brevi antea ostendit, e stirpibus in *a* exeuntibus aut terminationibus verborum adiunctis verba *tertiae* coniugationis evadere aut finibus

---

1) Ueber Aussprache, Vocalismus cet., Tom. II, p. 731 sqq.
2) L. c. T. II. p. 50 sq.
3) L. c. T. II. p. 734 sq.

nominum additis nomina oriri, quo quidem modo e *lega* proveniunt *legere* et *(con)-lega-(s)*, e *cola colere* et *(agri)-cola-(s)*. E *conviva* ita *convivere* exoritur, non *convivari*, ut Corssenus arbitratur. Neque e mensura *a* litterae, a cuius varietate Corssenus repetit discrimen coniugationum, argumenti quidquam elici potest, nam sicut feminina ita masculina principio videntur *a* longo terminata fuisse [1]). Neque scio equidem an in verbis saltem primae coniugationis (infra quid de ceteris sentiam indicabo) sententia Boppii probanda sit, cum terminationem *ja* in permultis linguis, ne lingua latina quidem excepta, stirpibus additam inveniamus. Accedit quod etiam significatione *efficiendi* vel *caussativa*, quam habent communem verba illa latina verbaque sanscrita decimae classis, verisimillimum fit, eodem modo illa omnino nata esse. Attamen in origine exitus *aja* declaranda cum Boppio non consentio, qui *aj* ex *i* incremento exstitisse putat [2]), sed eorum potius opinionem amplector, qui primam vocalem *a* finem stirpis esse voluerunt itaque *ja* terminationem propriam [3]), cui radicem *i* (scr. *ê-mi*, *i-mas*, gr. *εἶ-μι*, *ἴ-μεν*, lat. *e-o*, *i-mus*) insertam esse inter omnes convenit. Occurrerit quispiam, omnia verba primae coniugationis neutiquam a nominibus in *a* cadentibus emanasse, ut *donare (dono-)*, *liberare (libero-)*, *nominare (nomini-) honorare (honori-)*. Examinet ille velim formam eiusmodi nominum primariam! Tum videbit iam verbis latinis attenuationem *a* litterae in *o*, *u*, *e*, *i* comprobari, quae quidem attenuatio comparatione cum aliis linguis facta ad liquidum exploratur. Quo modo, ut pauca afferam exempla, in lingua latina inveniuntur *col-lega* et *sacri-legu-s*, *per-fuga* et *pro-*

---

1) *F. Buecheler*, Grundriss der lateinischen Declination, p. 9. — Nomina graeca respondentia, quae in *ης* vel *ας* desinunt, longam habere *a* litteram, non est cur commemorem.

2) Vergl. Grammatik, Tom. III. p. 87.

3) Cf. *Curtium* (Abhandl. der königl. Sächs. Gesells. der Wiss. V, 244 sqq.), *Schleicherum* (Compend. 358), *L. Meyerum* (Vergl. Gramm. II, 3).

fugu-s, *ollus* et *ille* (scr. *ana*), *donom* [1]) et *donum* (= zend. *dâna*), *nominus* [2]) et *nominis* (= scr. *nâmanas*), *navem* et *navim* (= scr. *nâvam*). Neque tamen negamus, permulta quoque verba ex analogia aliorum verborum eis temporibus formata esse, quibus nomen unde deducuntur non iam *a* vocali terminabatur. — Sed haec hactenus. Ad singula verba deponentia iam transeamus et ab eis ordiamur, quae denominativa esse facile intelleguntur. Quaestio nostra ita videtur esse instituenda, ut primum quae sit omnino notio verborum a nominibus derivatorum consideremus, tum demum quatenus deponentia ei notioni respondeant perpendamus.

In duas, ni fallor, classes quasi principales secerni possunt omnia verba denominativa, quarum complectitur una ea verba, quae "aliquem talem facere" exprimunt, qualem nomen, unde derivatum est verbum, denotat; ad alteram vero quae pertinent verba "aliquem ea vi afficere" declarant, quae nomini illi inest. Ad illam classem eiusmodi referuntur verba: *acervare*, *cumulare*, *caecare*, *cavare*, *curvare*, *densare*, *duplicare*, *ebriare*, *exstirpare*, *firmare*, *foedare*, *gravare*, *laetare*, *liberare*, *mutilare*, *novare*, *nudare*, *piare*, *probare*, *sanare*, *siccare*, *sociare*; ad hanc vero illa multo frequentiorem: *armare*, *colorare*, *coronare*, *copulare*, *culpare*, *damnare*, *donare*, *formare*, *fortunare*, *fraudare*, *frenare*. *fugare*, *honorare*, *iugare*, *librare*, *maculare*, *multare*, *nominare*, *notare*, *numerare*, *ordinare*, *plantare*, *ponderare*, *regnare*, *signare*, *scelerare*, *temperare*, *turbare*, *ulcerare*, *umbrare*, *vulnerare*, et quae s. s.

Verum, ut ad verba illius classis iterum redeamus, passiva eorum forma nihil aliud exprimi potest, nisi ut aliquis talis *fiat*, qualem vox nativa indicat. *Caecor* igitur id esse quod *caecus fio*, *firmor* = *firmus fio*, *liberor* = *liber fio*

---

1) V. *Corssen*. Ueber Aussprache, Vocalismus cet. T. I, p. 268.
2) V. Corssen. L. c. II, 48.

non est quod amplius ostendam. Sed transitus inde ad *talem esse*, *talem se praebere*, qualis nomine demonstratur, facillimus sane fuit. Et revera nihil aliud omnia ea valent deponentia, quae huc pertinent. Haec fere sunt: *adminiculari*, *adolescentiari*, *adversari*, *aedituari*, *aemulari*, *agricolari*, *ancillari*, *anilitari*, *arbitrari*, *architectari*, *argutari*, *auctorari*, *aucupari*, *augurari*, *aurigari*, *auspicari*, *auxiliari*, *bacchari*, *bubulcitari*, *carnificari*, *cauponari*, *cocionari*, *columbari*, *comitari*, *controversari*, *convivari*, *cornicari*, *dominari*, *emacrari*, *famulari*, *fatuari*, *fluctuari*, *furari*, *graecari*, *gratari* (proprie *gratum se praebere*), *gratificari*, *gravari*, *hariolari*, *heluari*, *hospitari*, *interpretari*, *iuvenari*, *laetari*, *lupari*, *lurcari*, *manducari*, *medicari*, *mendicari*, *mirari*, *miserari*, *moechari*, *morari*, *morigerari*, *nepotari*, *novercari*, *nutricari*, *odorari*, *opitulari*, *pacificari*, *parasitari*, *peregrinari*, *philosophari*, *pigrari*, *poetari*, *praeconari*, *praesidiari*, *praevaricari*, *procari*, *puellitari*, *pugilari*, *raucari*, *recentari*, *reliquari*, *rhetoricari*, *rusticari*, *sacrificari*, *scortari*, *scurrari*, *subsidiari*, *suppetiari*, *sycophantari*, *testari*, *tristari*, *vagari*, *vaticinari*, *velificari*, *velitari*, *verecundari*, *vicinari*, *villicari*, *virginari*, *vitulari*, *vulpinari*.

Vox nativa nonnullorum verborum, quae eodem modo sunt formata, non exstat apud scriptores latinos. Illa sunt: *bovinari*, *gratulari*, *vociferari*, *caussificari*, *ludificari*, *modificari*, *testificari*, *latrocinari*, *lenocinari*, *manticinari*, *patrocinari*, *ratiocinari*, *sermocinari*, *tuburcinari*.

Haec verba deponentia variis nata sunt temporibus et parva tantum pars eorum apud scriptores veterrimos invenitur, attamen summa horum ratio iam in antiquissimis verbis exstat. Quod quo melius probetur, ex eorum numero accuratius examinemus ea, quibus utitur Plautus, deponentia, cum ille et antiquissimus sit eorum, quorum quidem scripta integra ad nos pervenerint, et proprietates linguae latinae bene detegat, utpote qui populo scripserit ideoque sese ad sermonem popularem accommodarit. Apud eum haec fere

deponentia ad primam, quam nos statuimus, classem spectantia adnotavi [1]): *adversari* [2]), *aemulari, arbitrari, argutari, aucupari, auxiliari, bacchari, bubulcitari, caussificari, comitari, gratulari, gravari, interpretari, laetari, latrocinari, ludificari, manticinari, medicari, mendicari, mirari, miserari, morigerari, odorari, opitulari, pacificari, parasitari, pergraecari, philosophari, ratiocinari, scortari, sycophantari, testari, tuburcinari, vagari, vaticinari, velitari, verecundari, vitulari* [3]).

Nonnullorum horum, quae nunc enumeravi, verborum a Plauto usurpatam esse etiam *activam* formam libri testantur. Sunt enim hae formae: *arbitrabunt* (Stich. 1, 2, 87), *arbitrarem* (Pseud. IV, 2, 57), *aucupa* (Men. IV, 1, 12), *aucupavi* (Truc. V, 72), *aucupemus* (Asin. V, 2, 31), *aucupet* (Mil. IV, 2, 5; Most. II, 2, 42); *ludificabit* (Amph. IV, 3, 7), *ludificabo* (Most. V, 1, 19), *ludificant* (Amph. IV, 3, 13, Men. III, 2, 57; Mil. II, 6, 8), *ludificas* (Amph. II, 1, 38; Merc. II, 2, 36), *ludificat* (Cist. II, 1, 8), *ludificaverit* (Most. V, 2, 29), *ludificavisti* (Mil. II, 6, 15), *ludificem* (Cas. III, 2, 30), *ludificemus* (Pers. V, 2, 52), *mendicas* (Amph. IV, 2, 12), *mendicet* (Bacch. III, 4, 10), *mendicare* (Most. I, 3, 73), *morigero* (Amph. III, 3, 26).

Activa forma sola Plautus utitur inverbis: *augurare, auspicare, fluctuare, nutricare, sacrificare.*

Pauca igitur eiusmodi sunt verba, quae ab usu posteriorum discrepent ac vereor, ne nonnullae activi formae

---

[1]) Deponentium compositorum hic aeque atque in tota disquisitione raro mentionem faciam, si simplex verbum in usu est, neque in enumerandis deponentibus rationem habebo gerundii, supini, participiorum, cum ex his formis minime concludi possit, sitne verbum quoddam quasi deponens usurpatum necne sit.

[2]) Etiam activa forma *adversavi* transitiva notione Plautus semel usus est (*animum advorsavi sedulo*, Rud. II, 2, 1).

[3]) In nonnullis manu scriptis *furari* (Bacch. IV, 4, 11) et *manducari* (Mil. II, 6, 105) leguntur, sed editores recentiores aliam scripturam receperunt.

vitio librariorum sint tribuendae. Saepissime enim Plautus verbum deponens *arbitrari* usurpat eademque forma iam apud Ennium invenitur. Neque id aliter fieri potuit, nam hoc verbum, cum ad sermonem iudicialem pertineat, antiquissimum sine dubio erat, quod quidem partes quoque eius compositae probe testantur, et vix fallar, si *arbitrari* primo significasse posuerim "*ad arbitrandum vocari, arbitrum eligi*". Unde notio *putandi* facile sese explicavit. Itaque mihi persuasum est *arbitrarem* [1]) (Pseud. IV, 2, 57) in *arbitrarer* esse mutandum, quod numerus versus non impedit. Num etiam *arbitrabunt* (Stich. 1, 2, 87) sit reiiciendum, diiudicare nolo, cum sententia verbi hoc loco eadem sit ac *credendi* verbi. Id vero locis satis multis affirmatur Plautum et activam et passivam formam *ludificandi* verbi usurpasse, quod magis etiam probatur, si ratio habetur aliorum verborum, quae eodem modo sunt formata. Sunt enim apud eum duo verba, *caussificari* et *pacificari*, quibus semper utitur deponentibus, unum vero *sacrificandi* verbum, quod numquam ita usurpat, cuius tamen verbi et activam et passivam formam eadem notione aliquanto post esse adhibitam testatur *Varro* (L. L. IX, 105). Invenimus etiam apud *Propertium* et *Plinium* activum *velificare*, quamquam iam *Cicero* passivam formam solam usurpavit. Vides igitur vacillasse usum verborum in *ficare* exeuntium neque scio, a numquam omnino certus factus sit. Atqui activum principale fuisse derivatione horum verborum plane ostenditur; passivam formam illa ex analogia videntur induisse. Eadem prorsus est ratio *morigerandi* verbi, cuius semel tantum activum apud scriptores reperitur, sed verbi eiusdem generis *belligerare* haec forma fere sola in usu fuit. — Neque vero activum non invenitur verborum *aucupare*, *augurare*, *auspicare*, *fluctuare*, *mendicare*, *nutricare*, quae omnia a

---

[1]) In versu quodam penitus corrupto (Mil. II, 4, 49) *Ritschelius et Fleckeisenus arbitras* legerunt. Alii vero *arbitraris* scriptum esse opinati sunt.

substantivis esse profecta apparet. Cum enim activum eiusmodi verborum raro tantum, posteriore saltem linguae aetate, in usu esset, *talem facere* exprimens, qualem vox nativa indicaret, nonnulla naturam intransitivorum acceperunt *talem esse* significare incipientes. Eiusmodi sunt verba, de quibus nunc quaerimus, quae tamen ex analogia passivam formam paullatim suam fecerunt. *Cicero*, qui haud paucorum deponentium usum induxisse videtur, modo *aucupari*, *augurari*, *auspicari*, *nutricari* utitur, *Livius* demum *fluctuari*, sed ex verbis *Quintiliani* (inst. orat. IX, 3, 7) concludere possumus, ambas formas in sermone cottidiano diu postea, fortasse semper aeque valuisse. Nonnulla autem verba eiusdem generis numquam deponentia exstiterunt, qualia sunt: *equitare*, *exsulare*, *iudicare*, *vigilare*. — Quae vero deponentia ex adiectivis emanarunt, semper a scriptoribus ita usurpata sunt, cum activum verborum eo modo formatorum frequentissime transitiva notione adhiberetur. Quin etiam activis formis eiusmodi deponentium scriptores interdum et quidem *agendi* notione utebantur.

Iam perlustremus verba, quae ad classem illam alteram, quam statuimus, pertinent ideoque significant "aliquem ea *afficere* re", quam nomen nativum indicat. Quorum igitur passivo nihil aliud proprie significatum esse potest, nisi rem aliquam eadem *vi* affectam esse. Itaque *maculor* idem valet quod *macula afficior*, *nominor* id quod *nomine appellor*, *pulveror* id quod *pulvere operior* et q. s. s. Eodem plane modo formata esse possunt deponentia, qualia sunt: *capillari*, *fruticari*, *racemari*, *radicari*, *siliquari* (= capillis, fruticibus, racemis, radicibus, siliquis instrui), *morari* (= mora obstrui, cf. *commorare* = mora obstruere) *vermiculari* (= vermiculis compleri). At propria patiendi notio in his verbis non retenta est, sed id solum haec exprimunt, eandem actionem in subiecto effici, quam in rem obiectam transgredi denotat forma eorum activa, vel — ut brevi comprehendam — passiva forma id subiective declarat, quod

forma activa obiective effertur. Haec igitur notionis ratio non est dissimilis rationi, quam interesse inter activum et passivum iam antea vidimus. Et latius quodammodo vim suam extenderunt deponentia a nominibus nata. In his enim verbis, ut in verbis motum significantibus accidisse iam conspicati sumus, omnis vis extrinsecus affecta adeo evanuit, ut subiectum ipsum quasi persona *agens* exstaret. Passivum tum declaravit, subiectum *ipsum* aut ea re, quam nomen unde emanarat verbum significabat, occupari, aut eam sibi comparare, aut eo loco versari, quem nomen illud denotabat. Forma activa, si in usu fuisset, re illa aliquem afficere vel instruere aut loco illo aliquem ponere valuisset. Huc pertinent deponentia, quae sunt: 1) *aggeniculari*, *alumnari*, *ampullari*, *argumentari*, *auctionari*, *bellari*, *caussari* (cf. *accusare aliquem*), *cavillari*, *certari*, *consiliari*, *contechnari*, *conviciari*, *criminari*, *degrumari*, *digladiari*, *epulari*, *exsequiari*, *extricari*, *fabulari*, *facetiari*, *feriari*, *frustrari*, *funerari*, *gesticulari*, *honorari*, *imaginari*, *infitiari*, *iniuriari*, *insidiari*, *iaculari*, *iocari*, *ioculari*, *lamentari*, *libidinari*, *luctari*, *lucubrari*, *ludicrari*, *luditari*, *luxari*, *luxuriari*, *machinari*, *manuari*, *meridiari*, *metari*, *minari*, *modulari*, *munerari*, *murmurari*, *negotiari*, *nictari*, *nidulari*, *nugari*, *nundinari*, *obsidiari*, *ominari*, *operari*, *osculari*, *otiari*, *palpari*, *percontari*, *periculari*, *perplexari*, *praemiari*, *prooemiari*, *precari*, *proeliari*, *quadruplari*, *recordari*, *remediari*, *rixari*, *ruminari*, *scrutari*, *sermonari*, *somniari*, *stomachari*, *suaviari*, *suffragari*, *testiculari*, *tricari*, *trutinari*, *tumultuari*, *vadari*, *venerari*; 2) *Annonari*, *aquari*, *copiari*, *fenerari*, *frumentari*, *gloriari*, *lignari*, *lucrari*, *manticulari*, *materiari*, *mercari*, *mutuari*, *obsonari*, *pabulari*, *peculari*, *pignerari*, *piscari*, *praedari*, *stipendiari*; 3) *Apricari*, *assellari*, *circulari*, *contionari*, *fabricari*, *focillari*, *fornicari*, *latibulari*, *lustrari*, *naviculari*, *peragrari*, *popinari*, *rimari*, *rurari*, *spatiari*, *speculari*, *stabulari*, *urinari*.

Ex deponentibus, quae nunc attulimus, perpauca tan-

tum apud Plautum exstant. Haec fere in scriptis eius inveni: *contechnari*, *criminari*, *extricari*, *fabricari*, *fabulari*, *frustrari*, *insidiari*, *iocari*, *lamentari*, *lustrari*, *luxuriari*, *machinari*, *mercari*, *minari*, *morari*, *mutuari*, *nugari*, *ominari*, *osculari*, *palpari*, *perplexari*, *periclitari*, *piscari*, *precari*, *quadruplari*, *recordari*, *scrutari*, *speculari*, *tumultuari*, *vadari*, *venerari*.

Verba huius generis deponentia quamquam frequentiora non sunt apud Plautum, ostendunt tamen summas illas rationes, quas supra huic classi proprias esse statuimus, omnes iam tum exstitisse. Plura postea ex hac analogia sunt formata et ea quidem haud pauca, quae prius activam formam habuerunt. Fuit enim in lingua latina, cum in scriptis usurpari coepta est, magna verborum vis, quae quamvis ad primam coniugationem pertinerent activo notiones intransitivas efferebant, quorum verborum alia semper hanc formam retinuerunt, alia formam deponentialem pedetemptim induerunt. Illud quidem maxime accidit verbis, quae de rebus inanimis exhibebantur, ut *aestuare*, *flammare*, *fulminare*, *fulgurare*, *gemmare*, *rorare*, *spumare*, *stellare*, *tonare*, *undare*, attamen non desunt eiusmodi activa, quae proprie animalibus attribuuntur, ut *coenari* (cf. *epulari*), *laborare* (cf. *negotiari*), *pugnare* (cf. *proeliari*); nonnulla rarissime tantum passivam formam habent, ut *bellari* (Verg. Aen. XI, 660), alia apud scriptores postremae demum aetatis naturam deponentium acceperunt, ut *certari*, *luditari*, *somniari*. Scriptores vero antiquissimi saepissime activo eorum verborum utuntur, ex quibus apud posteriores passivum solum in usu fuit. Apud *Plautum* ita leguntur — ut aliqua usitatissima commemorem — *luctare*, *nictare*, *munerare*, apud *Ennium: cunctare*, *depopulare*.

Usus permultorum verborum in sermone populari semper vacillabat, quamquam scriptores formam deponentialem activo praeferebant, id quod colligere licet ex verbis *Quintiliani:* "in natura verborum est, et quae facimus pa-

tiendi modo saepe dicere, ut *arbitror*, *suspicor*; et contra faciendi, quae patimur, ut *vapulo*; ideoque frequens permutatio est et pleraque utroque modo efferuntur: *luxuriatur*, *luxuriat*, *fluctuatur*, *fluctuat*, *assentior*, *assentio*" (inst. orat. IX, 3, 7). Quae cum ita essent, fieri potuit, ut scriptores eiusdem verbi et activo et passivo uterentur. Difficillimum igitur est certo diiudicare, num singulae activae formae, quas libri dant, revera sint servandae, quamvis apud eosdem scriptores passiva forma saepissime legatur. Equidem dubius sum — ut ad Plautum redeam — num *iocabo* (Cas. IV, 4, 20) in *iocabor* mutandum sit, etiamsi forma deponentialis saepe invenitur (Men. II, 2, 42; V, 2, 73; Most. V, 1, 33; Poen. I, 1, 35), sed verisimillimum puto, *veneroque te* (Bacch. II, 1, 4) in *venerorque te* atque *venerem Lucinam meam* (Truc. II, 5, 23) in *venerer L. m.* emendanda esse (*venerari* exstat in Poen. V, 1, 17; Rud. I, 4, 37; II, 1, 16; V, 2, 62; Trin. I, 2, 2), nam *venerari* proprie mihi videtur significasse *veneratione impleri* (*venus* = scr. *vana-s* = veneratio), unde notio *colendi* nata est. Accedit, quod alii omnes ne Ennio quidem excepto sola passiva forma utuntur. Neque id numero versuum vetatur. In Mil. Glor. (III, 3, 9) nonnulli praebent formam *frustro*, quod minime ad sententiam eius loci quadrat, quare *Ritschelius* et *Fleckeisenus* recte sine dubio cum *Bothio* legunt *frustra*. In Bacch. (III, 6, 19) vero libri habent et *frustrant* et *frustrantur*, quarum lectionum illam servarunt *Ritschelius* et *Fleckeisenus*, quo quidem modo versui optime consulitur. Id vero persuasum mihi est retinendam esse formam *criminaret* (Pseud. I, 5, 78), quam libri habent, nam eiusmodi deponentia ac *criminari* antiqua neutiquam sunt. *Criminare* enim "aliquem crimine afficere" significat ideoque activam formam diu retinuit non secus ac *culpare*, *accusare*, *multare* alia, quae semper activa manserunt. Attamen vel paucissima deponentialem adepta sunt formam *occupatum esse* aliqua re denotare incipientia ex analogia verborum, qualia sunt: *ca-*

lumniari, *conviciari*, *insidiari*. Deponentialis forma *criminandi* verbi semel apud *Plautum* (Bacch. IV, 6, 13) legitur et semper apud posteriores; *Ennius* autem activum usurpat. Cui simile *munerandi* verbum, cuius activum in scriptis *Plautinis* exstat, iam apud *Terentium* (Heaut. II, 3, 59) deponens est factum saepissimeque ita a Cicerone, Horatio, aliis adhibetur.

Restat autem longa deponentium series, quae quamquam ad hanc eandem coniugationem referuntur, una cum aliis non tractavimus, ortus significatioque horum cum non illico intellegantur. Neque vero his principem locum dedimus, cum in eis diiudicandis nostra valde intersit prius perspexisse, quomodo se habeant deponentia illa, quorum derivatio et sententia non sunt nobis absconditae. Iam vero investigatione illa ad finem perducta sequitur, ut etiam reliqua deponentia, quoad eius a nobis fieri potest, illustrare conemur. Sunt enim haec, quae infra scripsimus.

1) *Adfectari*, quod *Varronem* scripsisse commemorat *Diomedes* (Gr. lat. I, 382 K.), et *adiutari*, quod *Nonio* teste (p. 74) a *Pacuvio* usurpatum est, "adfectantem, adiutorem se praebere" significant. Usitatior tamen fuit activa utriusque forma, quae ita naturam aequavit *afficiendi* et *adiuvandi* verborum, unde illa derivantur.

2) *Adsentari* "adsentatorem se praestare" exprimens iam a *Plauto* deponentium more usurpatur, quamquam *adsentiendi* verbum saepius apud eum activam formam habet.

3) *Adulari*, quod proprie de canibus editur, in prisca latinitate activa forma efferebatur. Quod unde sit derivatum, etiamnunc ambigitur. Equidem suspicor, *ad-ul-ari* recte a *Fickio* (lex. compar. I, 188) et *Buggio* (Kuhn. Annal. XX, 30) comparatum esse cum sanscrito *vâra* vel *vâla* (= cauda), graec. *οὐρά*, lituan. *vala-s* (= cauda equina). Primo activa forma huius verbi in usu fuit deindeque ex analogia deponens factum est *adulatorem esse* vel *se praebere* incipiens denotare (cf. *blandiri*).

4) *Altercari Caesaris* saltem temporibus deponentialem formam accepit (cf. *certari, digladiari, rixari*). *Terentius* vero eo active usus est (Andr. IV, 1, 29).

5) *Antestari* natum est composita praepositione *an* (= ἀνά, cf. *an-helare, an-fractus, an-quirere, am-plecti*) cum verbo *testari* ideoque *testem* ab aliquo *reddi* significat. Sed ut verbum simplex *testari* eandem suam significationem temporis progressu dilatavit in *testem esse*, quin etiam in *testem* aliquem *facere* (proprie "in teste sibi parando *esse occupatum*"), ita hoc verbum compositum extremam illam notionem accepit unamque demum retinuit. — *Priscianus* (Gr. Lat. II, 382 K.) unum enuntiatum e libris *Aelii* litteris custodit, ubi propria notione *antestandi* verbum exstat. Est enim hoc: *impubes libripens esse non potest neque antestari.*

6) *Aspernari* a *spernere* prodiisse in propatulo est. *Spernere* vero proprie sonat "*segregare, secernere*", ut apud *Ennium* (Non. 399): *ius atque aequum se a malis spernit procul*, et apud *Plautum* (Capt. III, 3, 2): *nunc spes, opes auxiliaque a me segregant spernuntque se.* Apparet igitur *aspernari* proprie idem valere ac *se ab aliqua re segregare*, unde nata est notio contemnendi vel despiciendi. Falso autem nonnulli *aspernari* interpretati sunt "aliquem a se secernere". Elucet etiam Ciceronem natura eius verbi observata scripsisse — id quod testatur *Priscianus* (Gr. lat. II, 383 K.) — *qui habet ultro appetitur, qui est pauper aspernatur.*

7) *Baubari* (Lucr. de rer. nat. V, 107) ad similitudinem deponentium, quae ex nominibus effluxerunt, formatum est (= *bau, bau* proferre).

8) *Comissari* graeco κωμάζειν respondens "in κῶμον quodammodo agendo vel celebrando socium esse" significat eodemque modo effictum est ac *contionari, exsequiari, funerari.*

9) *Communicari* semel apud *Livium* (hist. IV, 24) vice deponentium fungitur, perinde ac si ab adiectivo esset profectum; nisi forte id mendum librorum putaveris, cum activa forma eadem vi saepissime usurpatum sit prorsusque ad naturam eiusmodi verborum quadret.

10) *Conari* unde deductum sit, perpauci, quod ego sciam, quaesiverunt. *Pottius* de radice *çak* (= posse, valere) disputans hoc modo disserit (lex. rad. III, 146): "*conari* könnte wie *consternare* (neben *consternere*) gebildet sein und durch Ausfall von *c* (vergl. *examen: agmen*) die Länge erhalten haben. Nur Schade, dass es nicht können bez., sondern etwas unternehmen, versuchen, vagen, sich erkühnen — lauter Begriffe, welche nichts weniger als ein erfolgreiches können mit einschliessen". — *Ebelius* (Kuhn. Annal. VI, 216) se comprobasse credit *conari* ad radicem indogermanicam s*(cav)* (= spectare) esse referendum. *Conari* enim per mediam vocem *conus* ex *covere (coere)* esse derivatum aeque atque *opinari* per *opinus* ex *opio*, unde etiam *opto* exierit; litteras vero *ov* in *ô* transisse (cf. *foveo, fôtus*). Quae explanatio mihi quidem ab initio usque ad finem iusto esse videtur spinosior. Aliunde, ni fallor, quaerenda est *conandi* verbi origo, quam indagasse me arbitror radicem *kan* (= laborem afferre) ponens, ad quam refero verba graeca *κονέω, ἐγ-κονέω (= nitor, operam do), διά-κονος*, sanscrita *çan-ais, çan-ak-ais* (= labore, sensim), quae radix fortasse componenda est cum radice *kam*, unde nata sunt sanscrita *çâm-jatê, çam-nâti* (= contendit), graecum *κάμνω (ἔ-καμ-ον)*, alia. — *Conari* igitur *gravari, conniti* proprie videtur significasse.

11) *Conflictari*, quod inter deponentia numeratum reperimus, primo notionem vere passivam habuisse unusquisque facile videbit.

12) *Conscreari* semel apud *Plautum* (Pers. II, 5, 7; v. etiam Non. p. 479) legitur, nisi forte falsa putanda est ea scriptura, cum libri varii varia verba praebeant.

Deponentialem formam huius verbi dubiam faciunt etiam verba *screare* et *conscreare*, quae activa sunt. Sin autem *conscreabor* reapse scribendum est, forma deponentialis vix alia de caussa exstitit, nisi ut naturam verborum e substantivis exeuntium adaequaret.

13) *Conspicari* semper ut deponens, *conspicere* vero activa forma in scriptis exstat. *Conspicari* enim ex analogia natum est, quasi ex nomine *conspex, conspicis* derivatum (cf. *au-spex*), ideoque actionem diutius durant em exprimit quam *conspicere*.

14) *Contemplari* sine dubio a vocabulo *templum* profectum est, quod proprie — ut *Servii* verbis (ad Verg. Aen. VI, 191) nitar — dicitur locus manu auguris in aere ad captanda auguria designatus, et deinde locum, ex quo longe prospici posset, videtur denotasse. *Templare* igitur "in templo esse vel se movere" primo significaverit (cf. *latibulare, rurare*), postea vero movendi notione inveterata (cf. *petere*) vis *conspiciendi* regnare coepit. Ad firmandam notionem verbum compositum *con-templare* ortum est eodem modo ac *con-spicere, con-siderare, con-lustrare*. Principio activum *contemplare* in usu fuit, sed in libris posteriorum scriptorum iam exstat forma deponentialis, quae ex usu aliorum verborum a nominibus natorum efficta erat. — *Leo Meyerus* (gramm. compar. 1, 99) *contemplari* cum graeco *θάμνειν* comparavit, sed falsa sine dubio haec comparatio est, ut etiam *Schweitzer-Sidlerus* (Kuhn. Annal. XI, 75) arbitratur.

15) *Cunctari* quid proprie significet, in contrarias partes disputant homines docti. *Walterus* (Kuhn. Annal. XII, 383), *Schweitzer-Sidlerus* (Kuhn. Annal. XV, 314), *Curtius* (elem. 661) hoc verbum cum radice sanscrita *çank* (= suspicari, dubitare) conferunt. *M. Breal* (Kuhn. Annal. XV, 461) ad vocem *cunctus* hoc refert francogallico *tûtonner* (= germanico *combiniren*) respondere existimans; *Fickius* (lex. compar. 1, 28) *conctari* scripsit idque cum sanscrito *çaṅkatê*

(= suspensus, trepidus est), graeco *κωχ-εύω* (= pendo), gothico *hah-an* (= pendĕre) comparans germanice vertit "in der Schwebe sein, zögern"; *L. Langius* (cf. Curt. elem. 661 annot.) *cunctari* ex *cunctus* deducens "omnia circumspicere" interpretatus est, quam derivationem Curtius sibi incredibilem esse dicit. — Equidem minime dubito, quin uni illi recte iudicarint, qui *cunctari* e *cunctus* (quod ex *coiunctus* esse contractum inter omnes fere constat) non secreverint, quamquam interpretationem eorum probare nequeo. Elucet enim ex eis, quae iam tractavimus, *cunctari* proprie exprimere "cunctis vel variis rebus occupatum esse, variis rebus studere", unde notio *cessandi* vel *morandi* non longe abest. Non secus atque aliorum eiusmodi verborum activum *cunctandi* verbi apud scriptores antiquiores solum invenitur.

16) *Dignari* sero demum deponens est factum. Aetate linguae antiquiore activum *dignare* in usu fuit "*aliquem aliqua re designare, aliquem aliqua re dignum putare*", exprimens. *Dignus* enim (pro *dic-nu-s*) ad radicem *dic* (= monstrare) spectat, quo referuntur *dicere, dicare, δείκνυμι,* alia multa (cf. Corssen. de pronunt. 1, 360 sq.; Symbol. 47; Curt. elem. 129; Fick. lex. compar. 1, 93). *Dignor* igitur primo id quod *dignus aliqua re putor* denotabat, ut apud *Attium* teste *Nonio* (p. 281): *egone—Pelopis digner domo?* Etiam *Cicero* tali modo *dignare* usurpat. Attamen hoc quoque verbum quasi deponens interdum adhibitum est, quare v. c. *Vergilius* scribere potuit: *Haud equidem tali me dignor honore* (Aen. 1, 335), quod exemplum id insuper probat reflexivam significationem longe a verbo *dignari* abhorruisse.

17) *Exsecrari* semper fere deponentiali forma usurpatum est, *sacrare* vero et *consecrare* numquam deponentia sunt facta, cum illa actionem magis obiectivam denotent quam hoc *exsecrandi* verbum, quod ex affectione animi originem ducit—subtiles quaedam umbrae discriminis notionum,

quae dignae sunt, de quibus infra in significationibus deponentium summatim proponendis amplius disseratur.

18) *Fari* in graeca et sanscrita linguis multa habet cognata. Radix principalis *bha* et *lucere* et *loqui* videtur significasse. Ex illa exeunt sanscrita *bhâ-ti* (= lucet), *bhash-â-tê* (= loquitur), graeca *φημί* et *φαίνω*, alia (cf. Corssen. de pronunt. 1, 140 sq.; Curt. elem. 278; Pott. lex. rad. 1, 258 sq.; Ascoli. Kuhn. Annal. XVII, 335; Lottner, Kuhn. Annal. VII, 172). — De notione *fandi* verbi Varro commemorat (L. L. VI, 52): "*Fatur* is qui primum homo significabilem ore mittit vocem. Ab eo antequam ita faciant, pueri dicuntur infantes". Quomodo hoc verbum deponens sit factum, certo diiudicare nequimus. Quamquam fieri potuit, ut *ad loquendum adduci, loqui doceri* principio exprimeret. — Ad naturam *loquendi* verbi verbum *fari* accedere neminem fugerit.

19) *Fariari* in legibus XII tabularum semel invenitur. *Corssenus* (de pronunt. II, 1013) denominativum hoc verbum existimat, quod ex adiectivo *farius* (= loquens; cf. *nefarius*) ortum sit "den Sprecher machen, sprechen" proprie significans. Quam derivationem etiamsi veram esse concesserimus, facere non poterimus, quin interpretationem illam prorsus falsam arbitremur. Numquam enim nomina in *rio* desinentia activam habent vim (cf. *onerarius* = ad onerandum aptus, non onerans, *coquinarius* = ad coquinam pertinens, non coquinans, *auxiliarius* = ad auxiliandum constitutus, non auxilians), neque eam vim vocabulo *farius* subesse vox composita *nefarius* probat, cuius sententia non est ex principali mutata, ut Corssenus contendit, sed prorsus eadem, quae aliorum in *rio* exeuntium verborum, ob eamque rem "id, quod ad fandum non est aptum, quod effari nefas est" (= *nefandus*) denotat. *Farius* igitur, si exstaret, "ad dicendum aptus, quod dici potest" exprimeret itaque *fariari* valet "verbis eiusmodi uti". Quod autem verbum cum sic inusitatum fuerit, dubitari est coeptum, num unquam

usurpatum sit, et *Rud. Schoeldius* (Leg. duodecim tabul. p. 92) *fariari* in *fatiari* mutatum vult, quod aliquando in usu fuisse ex verbo composito *infitiari* conclusit. Qui si ita est, etiam substantivum *fatiae* est ponendum, nam ex eiusmodi substantivis pauca quae inveniuntur verba in *iari* desinentia efficta sunt. Difficultatibus igitur etiam haec coniectura laborat.

20) *Hortari* a *Waltero* (Kuhn. Annal. XII, 418) cum *fortis* vocabulo collatum est. Quae verba quominus comparentur neque notio impedit neque varia littera prima, nam litterae *h* et *f* saepius inter se permutari possunt, ut *fordeum* et *hordeum*, *faedus* et *haedus*, *fostis* et *hostis* (cf. Corssen. de pronunt. 1, 159 sq.; Symbola 203 sqq.). Sed accedit aliud, quod eam comparationem maxime faciat dubiam. *Fortis* enim e *forctis* vel *forctus* natum esse videtur, quae formae apud *Festum* (p. 84, 102, 348) inveniuntur, ideoque consonam gutturalem abiecisse, *hortor* vero e verbo emanavit illa littera carente, e *horior* dico, quo quidem verbo *Ennium* usum fuisse testatur *Diomedes* (Gr. Lat. 1, 382 K.). Quam ob caussam *Pottius hortari* et *fortis* neutiquam conferri posse arbitratus dubius est, quo *hortari* referat (lex. Compar. II, 1, 345). Mihi non prorsus persuasum est illa verba ex hac caussa necessario separanda esse, nam nihil obstat, quin *c* littera accessio sit posterior radixque communis *for* sive *hor* (cf. *par-cu-s*, *par-co*, rad. *spar*, german. *sparen*), unde prodierint *hor-io* et *for-cio*. Quae radix quadrare videtur ad radicem sanscritam *dhar*, ad quam referuntur *dhar-ati* (= sustinet, firmat), *dhar-una* (= firmamentum, fundamentum), *dhîr-a* (= firmus), alia (cf. Fick. lex. compar. 1, 99). In lingua latina similis notio apertissime subest voci *fir-mu-s* neque inde vis adiectivi *for-tis* longe abhorret, quod quomodo ex *for-cio* nasci potuerit *Corssenus* ad persuasionem apposite ostendit (Symbol. 171 sq.). Si etiam verbum *horior* huc referre

licet, "*firmor*, firmus sum" proprie significavit indeque *hortandi* notionem accepit.

21) *Imitari* a variis varie explanatur. Haud pauci *imitari* putarunt pro *mimitari* in usu fuisse eamque ob rem "mimum esse" proprie valere; *Corssenus* autem (de pronunt. 1, 374; Symbol. 252 sq.; Addit. 236 sq.) huic sententiae adversatur acerrime urgens *imitari* ad radicem *ak* (germ. *nach-ah-m-en.)* spectare ideoque pro *ic-mitari* positum primo "aptum se facere" denotasse; *Fickius* (lex. compar. 1, 159) sanscritum *jama* (= geminus) cum *imitari* comparat *imo-* ex *jamo-* prodisse arbitratus. — Utcunque res sese habet, mira non potest videri *imitandi* verbi forma deponentialis, cum "se praestare alicui similem" proprie eam referre unicuique eluceat.

22) *Masturbari*, quod saepius putatur e verbis *manus* et *stuprare* ortum esse, idcirco "manu stuprari" proprie valet.

23) *Meditari* unde sit deductum, variae fuerunt sententiae. *Pottius* (lex. rad. 1, 278) et *Fickius* (lex. compar. 1, 385) id cum vocabulis *modus* et *moderari* comparant (P. germanice reddit "in sich ermessen, erwägen"); *Muellerus* (Kuhn. Annal. V, 152) ei cognatum esse graecum *μελετάω* putat; *Curtius* (elem. 291) radice *man* posita illuc refert *man-eo*, *mon-eo*, *med-eor*, *med-i-tari* alia. Equidem pro certo habeo *meditari* frequentativum esse *medendi* verbi propriamque significationem melius retinuisse quam id verbum, unde derivatur (cf. infra p. 95 sq.).

24) *Moderari*, quod aeque formatum est atque *funerare* (funus, funes-tus), *scelerare* (scelus, sceles-tus), *temperare* (tempus, in-tempes-tus) principio significare videtur "modum esse alicui", unde postea notio *refrenandi*, *regendi* explicata est. Formam activam bis se invenisse (apud *Attium* et *Pacuvium)* cum pronomine reflexivo coniunctum *Nonius* commemorat (p. 472). Etiam apud *Plautum* (Mil. glor. II, 2, 115) antea editores praebuerunt activam for-

mam *moderabo*, quae nunc ex optimo codice in *moderabor* mutata est.

25) *Muginari, natinari, opinari* ab adiectivis in *-ino* cadentibus profecta sunt, quorum unum tantum, *opinum* dico, in compositis *nec-opinus* et *in-opinus* invaluisse videtur. *Muginari* et *natinari* rarissime in scriptis reperiuntur, *opinari* vero saepissime, sed ad quam radicem hoc spectet, nondum inter homines doctos convenit (cf. Kuhn. Annal. XIV, 84; XIX, 259 sq.; Corssen de pronunt. 1, 117; addit 28 sq.)

26) *Oscitari* aetate linguae iam firmata factum est deponens neque umquam activam formam prorsus exuit, quare scriptores, qui posteriore aetate floruerunt, ut *Plinius* et *Gellius*, activum *oscitandi* verbi usurpaverunt. Neminem fugit vocabula *os* et *citare* partes esse huius verbi compositas, neque ideo mirum videri potest activum *oscitare* principale fuisse. Passivam formam postea hoc sibi verbum ex analogia aliorum verborum vindicavit, ut durans quoddam exprimeret.

27) *Palari* mihi comparandum esse videtur cum verbis graecis πέλ-ο-μαι, πολ-έω, πάλλω (pro παλ-ίω), πλα-νά-ομαι ideoque *versari, moveri* proprie valuisse. *Walterus* (Kuhn. Annal. XII, 408) hoc verbum ad radicem *spar* referens cum vocabulis παλ-ύνω, *pal-ea, sperno* componit germaniceque vertit "sich zerstreuen".

28) *Pandiculari* "se extendere" significat ex adiectivo inusitato *pandiculus* descendens, cui inesse videtur eadem notio atque voci *pandus*, id quod etiam verbis *Festi* (p. 220) firmatur: „*pandiculari* dicuntur, qui toto corpore oscitantes extenduntur, eo quod pandi fiunt".

29) *Perplexari* semel apud *Plautum* legitur (Aulul. II, 2, 81) "perplexis rebus sese occupare, perturbare" exprimens eodemque modo effictum est ac *caussari, consiliari, criminari*, similia.

30) *Populari* a *Corsseno* (de pronunt. 1, 524) ad radicem *skar* (= suet. skära) refertur et cum vocabulis *σκύλον*, *σκύλλω*, *spol-iare*, *pil-are*, *spalten* aliis comparatur. Mihi vero haec comparatio nimis arcessita videtur. Quamquam equidem certi quidquam non habeo, quod contendam, *populandi* verbum a voce *populus* non secreverim, sed ad eandem radicem *par* sive *pal* (= *im-pler-e*, cf. Curt. elem. 260; Corssen. de pronunt. 1, 368, 442) ambas has voces referens "*omnia abferendi*" notionem verbo *populari* subiecerim. Activa eius forma diu una erat in usu, donec poetae scriptoresque posteriores interdum formam deponentialem usurpare coeperunt.

31) "*Praestolari* is, inquit Festus (223), dicitur, qui ante stando ibi, quo venturum excipere vult, moratur". Hoc verbum ad radicem *stal* (suet. ställa) spectat, quo referuntur sanscr. *sthalati* (= stat), graec. *στέλλω*, alia (cf. Curt. elem. 200; Fick. lex. compar. 1, 212). *Prae-stol-ari* igitur "se ante sistere" proprie significat.

32) *Quiritari* a *Varrone* semel usurpatum esse memoriae prodidit *Diomedes* (Gr. Lat. 1,381 K.). Idem Varro "*quiritare*, inquit, dicitur is qui Quiritum fidem clamans implorat" (L. L. VI, 68). Deponentiali forma actionem magis durantem quam activo significari iam saepius monuimus.

33) *Ructari* sero deponens est factum neque umquam prorsus tritum fuisse videtur. De hoc verbo ait Festus (p. 263): "*Ructare*, non *ructari* dicendum est. Cicero tamen *ructaretur* dixit".

34) "*Ruspari* est crebro quaerere" (Fest. p. 264 sq.; cf. Non. p. 166). Unde hoc verbum obsoletum derivatum sit, certo nescio. Conici tamen potest id eodem modo ac *scrutari* deponens exstitisse.

35) *Scitari* et *sciscitari* deponentium natura sunt usurpata, quamvis verba, e quibus descendunt, numquam eiusmodi naturam induerint. Quod mirum non est, nam haec verba neque solam *sciendi* notionem habent neque vim

approbandi vel *decernendi*, quae *sciscendi* verbo subest, sed *occupationem* vel *contentionem* indicant, qua cognitio alicuius rei spectatur. — *Plautus* forma utitur activa *sciscitare* (Merc. II, 3, 52), sed *scitari* iam apud eum deponentium vice fungitur (Capt. II, 2, 13).

36) *Solari* a *Corsseno* (de pronunt. 1, 486), *Fickio* (lex. compar. 1, 404), *Lottnero* (Kuhn. Annal. V, 155) recte sine dubio cum adiectivo *sôlus (sollus)* comparatur, de cuius notione Festus testatur (292): "Solum lingua oscorum significat totum et solidum". Inde in lingua latina oriuntur *soll-ers*, *solli-citu-s*, *sol-i-du-s*, alia. *Solari* igitur principio "solidum fieri vel esse" videtur denotasse indeque translatam "leniendi, solatium afferendi" notionem accepisse. Significationem *hortandi* verbi eodem fere modo natam esse supra (p. 88) opinati sumus.

37) "*Stipulari* dicitur, cum spondetur pecunia" (Fest. p. 296). Hoc verbum ad radicem *stap* est referendum, unde deducuntur *στέφ-ειν*, *στέφ-ος*, *stip-are*, scr. *sthâp-ajâmi* (= colloco, fundo), alia (v. Corssen. de pronunt. 1, 505, Curt. elem. 202). Etiam adiectivum *stipulus*, unde proxime descendit *stipulari*, in lingua latina evaluisse videtur, ut probant verba *Justini* (Instit. 3, 15): "*stipulum* apud veteres *firmum* appellabatur". Quod si ita tenebimus, *stipulari* principio nihil significasse poterit nisi "certum definitumve fieri", indeque "promissione affici, cautionem exigere", quapropter interpretationem *Curtii* "unter einander fest machen" falsam debemus habere. — *Varronis* originationem (L. L. V, 182) vix probare possis.

38) *Suspicari* eodem plane modo quo *auspicari*, *conspicari* formata est. Activa forma *suspices* semel apud Plautum legitur (Cas. II, 6, 42).

39) *Venari* quo referam nescio. Id tamen vix dubitari potest, quin *venari* aeque ortum sit ac *ferri*, *verti*, *fundi*, alia, quibus vis movendi subest.

Denique huc spectant multa verba frequentativa, quae a deponentibus sunt profecta, qualia sunt: *largitari, licitari, loquitari, pollicitari, queritari, sectari, tutari, usitari.*

Iam comprehendemus reliqua deponentia contracta, quae ad secundam et quartam coniugationes referuntur, ut tandem res disperse et diffuse dictas unum sub aspectum subicere possimus. Neque vero a deponentibus quartae coniugationis non exordiemur, utpote quorum vis proxime accedat ad vim verborum, quae in *a* longum exeunt, ita ut significatio non impediat, quin has coniugationes eadem via ortas esse arbitreris. Id forma horum verborum non vetari iam supra (p. 70) commemoravimus. Accedit quod etiam quartae coniugationis deponentia plurima denominativa exstant. Sunt enim haec: *Blandiri, largiri, potiri, praesagiri, mentiri* [1], *metiri* [2], *moliri, ordiri* [3], *partiri, puniri, sortiri.* In quibus etiam id congruit cum denominativis primae coniugationis, quod activae eorum formae a scriptoribus Romanis nonnumquam usurpabantur; quid quod *praesagiri* semel tantum (Plaut. Bacch. IV, 4, 28), quantum equidem scio, deponens exstat, saepius vero ad usum activorum accessit. Ad quartam coniugationem insuper numerantur quattuor deponentia, quae sunt:

1) *Adsentiri.* Quo de verbo *Gellius* (II, 25, 9) ex Varronis libro "de lingua latina" haec communicat: ""sentior" nemo dicit et id per se nihil est, "adsentior" tamen fere omnes dicunt. Sisenna unus "adsentio" in senatu dicebat et eum postea multi secuti, neque tamen vincere consuetudinem potuerunt"". Eiusdem rei *Quintilianus* quoque mentionem facit (instit. orat. 1, 5, 13; cf. etiam IX, 3, 7). Maximum nobis hoc exemplum praestat adiumentum ad vim deponentium recte cognoscendam indicioque est discriminis

---

[1]) Pott. Etym. Forschung. II, 536 sq.; Corsseni Beiträge p. 117 sq.

[2]) V. Pott. Wurzel-Wörterb. 1, 270.

[3]) Cf. Corssen. Beiträge p. 108.

gravis, quod inter notionem verborum activorum et deponentium exstat. *Sentio* enim et *consentio et dissentio* active usurpantur, cum sensum vel sententiam alicuius exprimant solam, *adsentior* vero deponens exhibetur, cum praeterea indicet hanc sententiam caussa quadam esse concitatam. *Adsentior* ergo verterim: "adductum me sentio ad aliquid comprobandum", *adsentio* vero: "aeque sentio". — *Assentari* verbum frequentativum est ideoque "ex more alicui *assentiri*" valet, quod germanice "ein Jaherr sein" reddi poterit.

2) *Experiri* et *opperiri*. Haec ambo verba ad radicum *par* (= traducere, rumpere) spectant, unde manarunt *περά-ω, πόρο-ς, πειρά-ω, por-ta, peri-culum*, scr. *piparmi* (= traduco), goth. *far-an* (= ire), *far-j-an* (= vehi), alia (cf. Curt. elem. p. 256). Itaque *ex-per-ior* "me ex (aliquo loco) fero, rumpo", *op-per-ior* "me ob (aliquid) fero" proprie significant.

3) *Oriri*. Ab omnibus ad radicem *ar* hoc verbum refertur et cum verbo sanscrito *ṛ-ṇô-mi* (= me tollo), graeco *ὄρ-νυ-μι, ὀρ-ίι-ω* comparatur (cf. Corssen. de pronunt. 1, 530; Curt. elem. 323; Fick. lex. compar. 1, 13; Pott. lex. rad. II, 1, 7 sqq.) ideoque *se tollere, assurgere* indicat.

Ad secundam nunc demum pervenimus coniugationem, quae quomodo orta sit perdifficile est certo decernere. Species quidem eius talis est, ut facile concludere possis — id quod multis placuit — ex eodem fonte profectum esse *e* productum, ex quo *a* longum prodierit, cum *ai* etiam in *ê* saepius contractum esse constet [1]). Sin vero iudicium ad significationem horum verborum revocaris, discrimen satis magnum inter ea exstare non poteris non invenire, nam verba primae coniugationis maximam partem transitiva sunt, eorum vero, quae ad secundam coniugationem referuntur, longe plurima intransitiva; accedit quod illa saepissime ex nominibus effluxerunt, haec quam rarissime ita formantur

---

1) Cf. Corssen, "Ueber Aussprache", T. 1, p. 629, 687 sqq.

et tunc quoque notionem habent plane aliam, quippe quae conditionem alicuius externam denotent (ut *albere, flavere*), illa talem *se praebere* exprimant, qualem nomen nativum significat. Ac si verba secundae ipsius coniugationis inter se comparaveris, haec quoque videbis in duas partes contrarias digressa esse, quarum continet una verba mere transitiva, quorum significatio naturam aliorum transitivorum plane attingat, altera vero verba intransitiva ab aliis magna ex parte abhorrentia, utpote quae *activa* forma *statum* quendam exprimant neque ad notionem transitivam unquam fere progressa sint. Valde igitur vereor ne erraverint docti, qui hasce ambas classes eadem via ortas esse existimarint. Nisi forte id satis esse statuis ad discrimen illud declarandum, quod in sanscrita lingua terminatione *ja* permulta verba intransitiva effinguntur [1]), immo ea ipsa terminatio ad passivum formandum usurpatur. Me quidem ea fert opinio variis in verbis fontem illius discriminis esse quaerendum, quamquam nondum audeo certi aliquid conicere, ne iusto audacius progredi videar. Id saltem non habeo, cur transitiva verba secundae coniugationis eodem modo quo alia verba contracta nata esse non censeam.

Quibus praemonitis transgrediamur ad singula deponentia tractanda, quae sunt:

1) *Fateri.* Hoc verbum intensivum quodammodo est *fandi* verbi proprieque *ad fandum commoveri, adduci* significare videtur.

2) *Liceri.* *Curtius* (elem. 422; Kuhn. Annal. III, 408 sq.), *Pottius* (lex. rad. III, 222 sq.), *Fickius* (lex. compar. 1, 168) *liceri* comparant cum verbis *licet, licere, linquo, λείπω,* scr. *riṇak'mi* (= vacuefacio), quam comparationem *Corssenus* prorsus reicit ad *liceri* modo *licet* referens (de pronunt. 501 annot.). Videat tamen Corssenus, ne cognata nimis seiungat. Vix enim ratio verborum *linquere (lic-tum)*

---

[1]) V. *Bopp,* Vergleich. Grammatik, T. 1, p. 207 sqq.

et *licere* dissimilis est rationi, quae intercedit inter verba *pendĕre* et *pendēre*, *jacĕre* et *jacēre*. Radix *lic* valere videtur "relinquere" (non "frei lassen", ut Curtius ponit), *licere* vero "relictum esse" (ut vendatur), indeque *venale esse*. — Itaque *licet* "relictum, datum est", significat, unde facile oriri potuit notio "*concessum, integrum est* alicui". — *Liceri* vero alia via exstitisse pro certo putaverim. Neque scio equidem, an *Corssenus* recte *liceri* cum *por-ric-ere* comparaverit (de pronunt. 1, 500), quamquam vim huius verbi male agnovit. Si enim originatio illa vera est, *liceor* "me extendo, offero" proprie exprimit. Notionem quam postea habuit eo forsitan accepit, quod emptor aut progrediendo aut digito extendendo aliquid se possidere velle significabat, quod ut credam magis etiam adducor verbis Ciceronis (Act. II in Verr. III, 11, 27): "*Utrum est aequius eum, qui manu quaesierit, an eum, qui digito licitus sit, possidere?*" — A *liceri* profectum est:

3) *Polliceri*, quod proprie videtur *progredi* (ut rem se aliquam suscipere velle demonstret) denotasse indeque notionem *promittendi* esse adeptum [1]).

4) *Mederi*. Mira interpretandi ratione usus est *Kuhnius* (Annal. V, 51 sq.) Putat enim ille *mederi* verbum caussativum esse ad radicem *mith* seu *meth* spectans, quam in *Vedis collidere, caedere* significantem invenerit, et *mederi morbo* germanice vertit: "der Krankheit fluchen". Equidem cum *Pottio* plane consentio, qui hanc derivationem et sono et vi nimis esse arcessitam existimat (lex. rad. 1, 279 adnot.). Iam vero *mederi* a multis ad radicem *madh* (= mederi) refertur, unde defluxerint zend. *madh-a* (= sapientia, ars medendi), gr. *μανθάνω*, alia (cf. Curt. elem. 291 sq.; Fick. lex.

---

[1]) Nonnulli codices deponentialem formam praebent *maerendi* verbi (apud Cic. Sest. 39, 84; Varro L. L. VII, 95), attamen editores posteriores rectissime, ut ego iudico, eas formas mutaverunt, nam nullum exstat exemplum, quod probet verba intransitiva secundae coniugationis formam deponentialem induere posse.

compar. 1, 146; Pott. lex. rad. 1, 279 sq.). — Quae quidem radix *madh* a Curtio cum radicibus *man* et *mna* comparatur, quo facto permultis verbis in eam quasi congregationem introitus paratur. Rectius autem putaverim aditum magis etiam esse laxandum, ut *ma* (= metiri) radix ponatur, una si tractantur stirpes cognatae. Verbum sanscritum *mâti (mi-mî-tê, mi-ma-tê)* iam translatam quoque habet notionem *comparandi, conferendi* et prima *metiendi* vis immo longius in verbis derivatis sese amplificavit, ut variam mentis memoriaeque efficacitatem significare inciperent. *Medeor* igitur, ut ad illud veniam, *ad cogitandum* vel *commentandum adducor* primo valuisse mihi persuasum est (*medeor morbo* = morbi caussa vel morbi commodo ad meditandum adducor), quae notio in verbo frequentativo *meditari* retenta est, sed in *medendi* verbo ei successit vis in medicos translata. Quod verbum cum sic ortum esset, numquam nisi de mentis participibus enuntiatum est; de medicina vero *sanare* usurpatur.

5) *Mereri. Plautus* formam activam et deponentialem huius verbi invicem usurpavit, apud *Terentium* vero omnibus fere locis (uno excepto, Heaut. I, 1, 31) forma deponentialis exstat. Etiam solutae orationis scriptores, immo *Cicero* ipse, utraque forma usi sunt. Activum principale fuisse in propatulo est, neque id primo aliud nisi *acquirere* videtur expressisse — recte a *Curtio mereri* cum verbo graeco *μείϱ-ο-μαι* comparatur (elem. 309). Sed temporis progressu etiam intransitive coeptum est usurpari "meritum, dignum esse" significans, ut: *Te ego ut digna's perdam atque ut de me meres* (Plaut. Asin. 1, 2, 22; cf. etiam Men. II, 3, 9; Poen. 1, 3, 21; Truc. II, 6, 61, al.). Quae vero significatio cum imprimis verbis deponentibus denotaretur, etiam *mereor* deponens factum est ad similitudinem deponentium, quae a nominibus proficiscuntur, formatum (*Bene, male de aliquo* vel *de aliqua re mereri* structuras esse constat usitatissimas). — Verum transitivam quoque vim in-

terdum accipiebat haece deponentialis forma, quapropter *Cicero* quoque "*stipendia mereri*" dixit.

6) *Misereri.* Hoc verbum "ad misericordiam adduci" proprie significare, lingua latina ipsa luculentissime docet. In usu enim erat etiam *activi* tertia persona cum accusandi casu coniuncta, quo casu obiectum *miserendi* verbi significari in aprico est.

7) *Reri. Kuhnius* (Annal. VIII, 64 sqq.) sanscritum *râtam astu* cum latino *ratum esto* comparat ideoque *ratum* ad radicem sanscritam *râ* (= dare) refert. *Corssenus* (de pronunt. 1, 477 adnot.) recte me iudice contra eum obicit, scr. *râtam* etiam cum *constitutum* reddatur, proprie "*datum, dedicatum*" significare, quae notio a verbo *reri* aliena sit; *Pottius* vero (lex. rad. 1, 289) dubius videtur esse, an illam comparationem probet. Equidem non dubito *Corsseno* assentiri, qui (de pronunt. 1, 477) *reri* cum sanscrito *ṛ-ta-s* (= verus, certus), gothico *ră-th-jō* (= numerus), *ra-th-jan* (= numerare), *ga-re-d-an* (= considerare), *ur-re-d-an* (= iudicare) comparat ideoque radici communi *ra numerandi, considerandi* notionem subicit. Quam vim latinae radici revera subesse vocabula usitata *ratus* et *ratio* demonstrant. *Reor* igitur "ad rationem adducor" proprie valet. — Multum etiam disputatum est, utrum ad eandem radicem necne formae *re-or* et *ra-tu-s* spectent. Mihi quidem vix dubium est, quin ambae formae ex una radice *ra* exierint, quarum altera *(ră-tus)* sine ulla radicis accessione formata est, altera e *ra-ja* eodem prorsus modo contracta, quo alia verba transitiva, quae ad secundam coniugationem referuntur.

8) *Tueri.* Quod verbum ad radicem *tu* (= potentem esse; quae fortasse eadem radix est ac *tu* = tumescere, ut Pottius in Kuhn. Annal. VII, 254 suspicatur) refero, unde fluxerunt sanscrita *tav-i-ti, tau-ti* (= potestatem habet), *tuv-i* (= potens), graecum *ταΰς* (= potens, pro *ταϝυς*), (cf. Fick. lex. compar. 1, 81 sq.). Ergo *tueor* "potens fio, potens sum"

proprie significavit, unde notio *defendendi, protegendi* facile descendit. Sed etiam longius vis huius verbi se amplificavit. Qui enim prudens aliquem defendere vult, eius est omnia circumspicere, ut pericula impendentia avertat. Qua via explicata est significatio *aspiciendi*, quae *tuendi* verbo saepissime subest. De duplice vi huius verbi iam *Varro* mentionem fecit (L. L. VII, 12). — Alia interpretatio placuit *Ebelio* (Kuhn. Annal. VII, 230 sq.), *Schweitzer-Sidlero* (Kuhn. Annal. XI, 77; XVI, 137).

9) *Vereri.* Plerique linguarum investigatores, ut *Curtius* (elem. 324), *Pottius* (lex. rad. II, 1, 595), *Corssenus* (de pronunt. 1, 466), *Fickius* (lex. compar. 1, 181) *vereor* ad radicem *var* (= obtegere) referunt. Curtius vero cum id germanice vertit "ich wahre mich", non videt, quomodo res se recte habeat, nam eiusmodi notionem Latini numquam passiva forma denotarunt (semper "*me defendo*" dicebant). Principalis significatio esse videtur "*se tegere*", quae quidem significatio in duas partes divisa sit, *unam* se tegere ex *timore (= timere), alteram* se tegere e *veneratione (= colere, venerari).*

VI. Significatio deponentium summatim proposita.

Singulis deponentibus nunc demum recensitis tempus iam erit id quod hac investigatione invenisse videmur perlustrare. Ac primum quidem inter deponentia tertiae coniugationis et ea, quae contracta optimo iure putantur, hoc maxime vidimus interesse, quod omnia illa ex activis exierint variasque notiones acceperint, quae formae passivae subesse possunt, haec vero species quodammodo vel normas quasi expresserint, ad quas plurima efficta sint, ideoque vim habeant inter se aequalem et congruentem. Deinde ostendimus verba illa contracta principio caussativa quae vocatur fuisse significatione. Quibus verbis igitur opus est subiecto *sua sponte agente*, quod obiectum aut ad

aliquid agendum impellat aut in statum quendam adducat. Quod cum ita esset, passiva forma naturae suae convenienter exprimeretur necesse erat, rem obiectam ad illud ipsum agendum incitatam esse aut in statum illum illatam. Notio autem personae efficientis evanescere potuit, ut in aliqua actione versari vel statu aliquo esse denotaret eadem forma. Hinc varia deponentium vis emanavit. Quam quo melius perspiciamus, nonnihil proderit duas illas notionis summas *actionem* et *statum* in proponendo secernere easque singillatim persequi.

Ab *actione* initium ducatur. — Deponentia igitur huc pertinentia primum significant *occupationem* eius rei, quam vox nativa indicat, velut *cavillari, epulari, insidiari, sermonari,* i. e. cavilla vel cavillatione, epulis, insidiis, sermone occupatum esse. Qua in re duae sententiae prae ceteris sunt refutandae vel potius corrigendae, eorum quidem, qui aut notionem reflexivam his verbis inesse voluerunt, aut *intestinam* quandam vim in eisdem sibi visi sunt indagasse. Uti enim grammatici antiquiores in eo laborarunt, ut patiendi vim omnibus accommodarent deponentibus, ita recentiores omni opera sunt enixi, ut notionem deponentium, quaecunque in lingua iam adulta erat, reflexive redderent; locutiones quales sunt *sich erzürnen, sich wundern, sich unterreden, sich küssen, sich danken* eo consilio sunt adhibitae, et *Noeltingius* descriptionem *Billrothii* plane argutam esse dicit [1]), quod ille moneat, Latinos verbum *morior* (quod germanice reddit: *ich sterbe mich*, *Noeltingius* corrigit: *ich sterbe sich)* eodem modo dicere potuisse ac Francogallos: *je me tais, je me meurs.* Quomodo vero illi enucleare possunt eiusmodi structuras, quales sunt: "*utinam memet possim obliscier* (Att. 190); *Quid est tam necessarium quam tenere arma, quibus possis te ulcisci lacessitus* (Cic. de orat 1, 8, 32); *Oratio sic est vere soluta, ut sine vinculis sibi ipsa mode-*

---

[1]) Ueber das latein. Depon. p. 7.

retur (Cic. de orat. III, 48, 184); *Frustrari cum alios tum etiam me ipsum velim* (Cic. Acad. IV, 20, 65)? Neque vero id satis erit, quod silentio praetermittunt testimonium *Quintiliani* (inst. orat. IX, 3, 7) iam saepius commemoratum, in natura verborum esse quae faciamus patiendi modo dici posse, et pleraque verba et agendi et patiendi modo efferri, ut: *luxuriatur, luxuriat, fluctuatur, fluctuat.* Ac si vim vere reflexivam deponentibus attribuere voluissemus, quid aliud v. c. *cavillari, insidiari, sermonari* significarent oportuit, nisi *secum cavillari, sermonari, sibi insidiari,* qualem notionem cum vera rei ratione pugnare unusquisque concedet. Proxime quidem ad reflexivorum naturam accedere videntur deponentia, quae "id sibi aliquem comparare" declarant, quod nomen unde profectum est deponens indicat, qualia sunt: *annonari, aquari, frumentari,* et reapse eo modo haec interpretari possumus, sed loquentes Romanos ita rem percepisse probabile non est. Patebit id dilucidius etiam, si verba *mercari, mutuari* spectarimus, quae plane eodem modo formata sunt ac *frumentari, pabulari.* Homo Germanus notionem eiusdem rei animo concipit *fouragiren, proviantiren* dicens, quo in loquendi usu nihil reflexivi inesse neminem latebit. Neque vero ad rem illam illustrandam oberit verba suecana quoque commemorare. Quis enim erit, qui deponentia *glädjas* et *fröjdas* (= laetari) alio modo percipi putet quam verba activa *sörja* (= dolere) et *klaga* (= queri), quamquam facile intellegitur illa verba a *fröjda sig, glädja sig* nata esse; ne mentionem faciam eiusmodi deponentium, qualia sunt *sturskas* (= pertinacem vel contumacem se praebere), *lättjas* (= pigrari), *vistas* (= versari), quae quomodo orta sint, non prorsus in propatulo est. Unum illud firmissime asseverandum est, deponentia proprie de *personis,* quae ad *agendum* valeant, efferri passivaque eorum forma proprie denotari actionem vi quadam externa vel interna excitatam esse. Neque ideo actiones, quae obiective proponuntur aut nullo agentis subsidio natura ipsa

provocatae esse comprehenduntur, umquam deponentibus significari possunt. Unde bene apparet, cur v. c. *exsecrari*, *assentiri* formam habent deponentialem, *sacrare* vero et *consecrare* et *sentire* et *consentire* non item. Ergo contendi potest deponentia magis habuisse *subiectivam* vim quam verba activa; quamquam saepius haec vis omnino fere est obscurata. Neque vero, si quid iudico, rem recte perspexerunt, qui ad rationem verborum mediorum graecae linguae vim intestinam deponentibus ascripserunt. Etenim tantum abest ut intestini quiddam in menteque hominum positum declarent, ut e contrario forma eorum actiones sub oculos quasi audientium vel loquentium revocentur. Sic *laetor* non solum laetitia esse aliquem affectum indicat, sed etiam aliquem *laetum se praebere*, *adulari* id est quod *adulatorem se praestare*, *iuvenari iuvenum modo se gerere*. Quamobrem pleraque deponentia externum motum aut occupationem significant, pauca tantum de animi efficacitate usurpantur et in his quoque persona agens animo loquentium obversatur. Aliunde igitur, ni fallor, caput discriminis verborum activorum et deponentium quaerendum est. Si enim accurate derivationem verborum contractorum perpenderis, manifestum erit activo actionem modo nominari, in quam impulsus est aliquis, sed passiva deponentium forma indicari aliquem in actione iam versari. Velut *laeto* aliquem "laetum facere" valet, *laetor* vero "laetus sum", *libero* facio, ut quis liber fiat, *famulor* munere famuli fungor, famulus sum. Quid multa? Deponentiali igitur forma *occupatio* exprimitur itaque actiones *magis durantes*, uberes quam activo referuntur. Quae caussa fuit, qua multa verba activa deponentialem formam induerint, ut *conscreari*, *oscitari*, *ructari*. Patet inde etiam *meditari*, *conspicari*, *contemplari* expressius aliquid graviusque significare quam *cogitare*, *conspicere*, *contemplare*. Iam vero actiones, quae *eventum* efficacitatis cuiusvis indicant neque ita percipi possunt, ut occupationem edant, numquam verbis

deponentibus efferuntur, velut *scire, intellegere, decernere, concludere.* Quae cum ita essent, interdum usurpatum invenimus *imperativum activi* verborum deponentium, cum illa forma nulla occupatio demonstretur, sed actio imperata tantummodo nominetur, neque ratio tam habeatur personae agentis quam imperantis [1]). — Deponentia contracta deinde *commorationem* exprimunt vel *occupationem,* quae eo *loco* est, quem nomen nativum indicat. Eiusmodi sunt: *apricari, rurari; fabricari, speculari* (vid. p. 78). Quorum illa intransitiva semper manserunt, haec contra transitivam notionem acceperunt. Quod reliquum est, sic velim existimes, id quod de notione aliorum deponentium contractorum iam explicatum est, etiam in ista deponentia cadere.

Sequitur nunc ut deponentia statum quendam referentia tractemus. Antea iam vidimus (p. 74), ea "aliquem talem esse" demonstrare, qualem vox nativa doceat, sicut *argutari* = argutum esse, *dominari* = dominum esse, *pigrari* = pigrum esse. Attamen significatio adeo amplificata est, ut *actionem* exprimere inciperent haec deponentia. Itaque eo modo *se gerere* significarunt ut natura verbi nativi aequaretur. *Cornicari* igitur "vocem cornicis imitari" valet (non: cornicem esse), *columbari* "consuetudine columbarum osculari", *vulpinari* "ita agere, ut vulpis astutia imbutus videaris", *vitulari* [2]) "vitulorum more salire, laetitia exsultare", *miserari* [3]) "misericordiam aut verbis aut lacrimis

[1]) Quod hic de imperativo deponentium contractorum dixi, dictum esse velim etiam de deponente *pati* (cf. p. 65), quod quamvis ad tertiam coniugationem referatur, ad naturam horum deponentium prope accedit, *patientem esse* vel *se praebere* significans, cuiusque stirps praesentis syllaba *ja* aucta esse videtur.

[2]) *Festus* hoc verbum ita interpretatur (p. 369): *vitulans* laetans gaudio, nt pastu vitulus", sed longe a veritate recesserunt recentiores multi. Sic *Doederlinius* (Lat. Etym. VI, 408) disserit: "vitulari, Deminutiv von *sich weiden,* goth. *withan.* Oder von *ἀίθειν, ἠΐθεος, αἴθαλος, αἰζηός* im Sinn von *juvenari*".

[3]) *Misereri* autem "dolorem animo concipere, misericordia moveri" designat.

aut re ostendere". Verba, quae nunc attuli, nihil nisi actionem edere possunt, id quod maxime accidit verbis, quae e nominibus exierunt, eiusmodi rem denotantibus, cuius procreandae homo non habeat facultatem. Quapropter fieri nequit, ut activis talium verborum exprimas "subiectum aliquem talem facere, qualem nomen nativum indicat" aut forma deponentiali aliquem eum esse designes, sed tantummodo de *imitandis* eiusmodi rei proprietatibus quaestio esse potest. In aliis vero deponentibus notiones status et actionis interdum conveniunt. Velut *augurari* et officio auguris fungi et praedicere valet, *famulari* et in statu famuli esse et servire, *mirari* et admiratione percussum esse et suspicere. — Verum enim vero cum deponentibus id solum quod industriae subiecti congruens sit demonstretur, nullus status, nisi cui notio subiecti communionis subest, his verbis efferri potest. Alii autem status *activa* forma significantur et usitatissime quidem verbis secundae coniugationis, ut *canere, flavere, gaudere, nitere, pallere.*

Quando rem hactenus perduxi, postremo, ne quid praetermittatur, strictim aspiciemus tempora deponentium composita, ut quanta inter se necessitate contineantur haec formae et eae, quae iam tractavimus, doceamur.

VII. De temporibus deponentium compositis.

In latina lingua non aliter atque in aliis linguis *praeteritum participii* cum verbo auxiliari coniunctum ad tempora passivi composita formanda usurpari constat, quod quidem participium in *tus* cadere nemo est quin sciat. Principalis forma eius terminationis *ta* eadem esse putatur ac radix pronominalis *ta* [1]), quae in omnibus linguis indogermanicis multas effecit formas vario loquendi usui inserviens. Caveas

---

[1]) Videsis Bopp, Vergl. Gramm. T. III, p. 203; Schleicher, Compend. p. 435; Leo Meyer, Vergl. Gramm. T. II, p. 80.

igitur significationem passivam usque a capite habuisse putes illud participium aut eam solam postea accepisse. Videtur enim terminatione *ta* vis vocabuli, cui suffixa erat, quasi nervosius indicata fuisse et ad rem aliquam relata, nulla habita ratione aut temporis aut generis. Itaque praesentem quoque statum exprimere potest, ut in verbis sanscritis *sthi-ta-s* (= stans), *çak-ta-s* (= potens, valens), *sup-ta-s* (= dormiens), *bhî-ta-s* (= timens), graecis *στα-τό-ς, μενε-τό-ς, ἑρπετός*[1]), latinis *fertus* (= qui fert), *scitus* (= qui scit), *cautus* (= qui cavet), quae vis in terminationibus *της, τα* remansit, ut *τοξότης, ἱππό-της* vel *ἱππό-τα, nau-ta* (pro navita), *poeta* (= *ποιη-τής*)[2]). Multo tamen usitatior evasit praeteriti cuiusdam et activa et passiva notio. In lingua latina nonnulla restant vestigia notionis illius activae, qualia sunt exempla: *cretus* (= qui crevit), *pransus* (= qui prandit), *potus* (= qui potavit), sed in lingua posteriore prorsus praevalere coepit significatio passiva. Atque substantivis quoque exitus ille huiusmodi significatione suffixus est, quo quidem modo adiectiva evaserunt, quae aut ad analogiam participiorum formata erant, ut *auritus, comatus, crinitus, ignitus, pellitus, turritus* (cf. *animatus, vestitus*), aut extrusa ultima substantivorum vocali speciem aliorum adiectivorum magis aequarunt, ut *funes-tus, hones-tus, moles-tus, robus-tus, nefas-tus, sceles-tus.* Qua igitur terminatione cum stirpi verborum suffigeretur actio iam perfecta denotata est, cuius vi aliquis affectus erat. Formam eo modo ortam lingua latina ad tempora passivi praeterita effingenda usurpavit et quidem eo potius, quod in his de persona, cuius vi actio effecta

---

1) Bopp, Vergl. Gramm. T. III, p. 206; Schleicher, Compend. p. 435.

2) Boppius recte, ut mea fert sententia, opinatur (Gramm. compar. III, 206) exitum *dus* adiectivorum latinorum ex *tus* debilitatione ortum esse (cf. *quater, quadraginta).* Cum eo *L. Meyerus* consentit (Gramm. compar. II, 94). Quod si ita est, haec quoque adiectiva vim praesentialem terminationis illius testantur, ut *cupi-dus* (= qui cupit), *trepi-dus* (= qui trepidat), *invi-dus* (= qui invidet).

erat, non tam quaerendum erat, quam de actione ipsa perfecta. Sic v. c. formae *versus, sublatus, abditus* eventum actionis solum indicabant; utrum aliquis ipse se vertisset, sustulisset, abdidisset, an ab alio quodam esset versus, sublatus, abditus, nihil intererat. Quapropter ad variam passivorum significationem prorsus quadravit participium illud in *tus* cadens optimeque usui deponentium paruit, utpote quae eadem via qua alia passiva nata essent. *Amplexus sum* igitur proprie est "me circum aliquem nexui", *ortus sim* "me sustulerim", *pastus eram* "alitus eram", *mortuus essem* "contritus essem". Ubi vero, ut iam vidimus, deponentia notionem dilataverunt, amplius quoque patere coepit usus illius participii. Primum enim, ut analogia exsisteret, tempora composita formas simplices sequerentur oportuit, tum vero participia deponentium agendi notionem habentium si minus omnia, at pleraque saltem etiam patiendi vim acceperunt non secus atque antea et subiectivam et passivam notionem exhibuerant. Velut ait *Cicero* — ut perpauca adiungam exempla — *mulier alienis viris comitata* (Cael. 14, 34; cf. etiam pro Domo 28, 76; Cat. II, 2, 4; Att. IX, 2; Phil. XII, 10, 25; Tuscul. V, 39, 113), *interpretatum nomen* (Leg. II, 12, 29; cf. de harusp. resp. 17, 37), *opinata bona* (Offic. II, 10, 36; Tuscul. IV, 6, 11), *populata vexataque provincia* (Verr. III, 52, 122; cf. in Q. Caec. div. 1, 2; 3, 7).

Sed longius quodammodo quam tempora simplicia progressa sunt tempora composita. Nonnulla enim verba ad speciem deponentium haec tempora habuerunt formata, quamquam illa active efferebantur; quae quidem verba ab artium scriptoribus *semideponentia* vel *neutropassiva* nominantur. Haec autem putari solent: *audere, fieri* [1]), *fidere,*

[1]) Formam infinitivi *fieri* vetustiori formae *fiere* scriptura sola dissimilem esse ambasque a *fierei* prodisse argumentis probabilibus affirmavit *L. Langius* (Ueber die Bildung des lateinischen infinitivus praesentis passivi, Wien. 1859, p. 18 sq., 48 sq.). Cuius sententiam multi foverunt.

gaudere, solere; de quibus *Priscianus* (Gr. Lat. II, 420 K.) monet: antiquissimi solebant etiam praeteritum perfectum proferre hoc modo: "gaudeo gavisi", "audeo ausi", "soleo solui", "fido fisi", "fio fii". Ipse nonnulla exempla usus formarum *ausi* et *gavisi* et *solui* praebet (Gr. Lat. II, 482, 489 K.) et *Varro* quoque (L. L. IX, 107; cf. etiam Non. 508) *Catonem* et *Ennium solui* scripsisse affirmat. Nulli autem exstant loci, qui formas *fisi* et *fii* in usu fuisse testentur, sed nonnullae formae verborum compositorum *confidere* et *diffidere* [1]) valde probant illam saltem exstitisse. Quod si quomodo orta sint semideponentia quaeris, omnia non satis liquent. Id quidem unicuique elucet unum certe eorum *factus sum* meram principio habuisse patiendi notionem; de ceteris vero in contrarias partes disputari licet. Neque scio equidem, an omnibus passivam vim attribuam ideoque participia *ausus, fisus, gavisus, solitus,* proprie vertam "ad audaciam, fiduciam, gaudium adductus, usu imbutus". Quam opinionem firmare videntur verba *taedet* et *pertaedet,* quae vice semideponentium interdum functa esse constat. Etenim *taedet me* proprie vix aliud significat nisi "taedio me afficit", itaque *taesus* idem quod "taedio affectus" (cf. *miseritus).* Quamquam prorsus negare non audeo fieri potuisse, ut participia illa aeque atque *cautus, suetus, scitus,* similia exorta essent. Praesentia autem *audeo, gaudeo, soleo* cum formam secundae coniugationis induissent, iam inde vim intransitivam ceperunt neque ideo deponentia evadere potuerunt, *fido* vero cum motum non denotaret, activam formam retinuit non secus atque alia verba tertiae coniugationis. Atque augeri quodammodo potest index semideponentium. Exscripsit enim *Gellius* (Noct. Att. II, 25, 7) e *Varronis* libro "de lingua latina": "a *ceno* et *prandeo* et *poto* et *cenatus sum* et *pransus sum* et *potus sum* dicimus", et *Diomedes* narrat, "apud *Turpilium* comaedia nobili cuius

---

[1]) Cf. *Neue,* Formenlehre der latein. Sprache T. II, p. 253.

titulus Demetrius legi *iurata sum* perfecto finitivo dictum" (Gr. Lat. I, 402 K.). Participia *coenatus* et *iuratus* prorsus accedere ad naturam deponentium a nominibus profectorum, vix est cur commemorem.

Vides igitur varia via exstitisse tempora passivi simplicia et composita *Ekiumque* [1]) magnopere errasse, qui deponentia a semideponentibus originem ducere putaverit (v. supra p. 31), cum tantum absit ut simplicia tempora persecuta sint vestigia temporum compositorum, ut e contrario haec ad illa accesserint deponentialemque formam interdum sint adepta, quamvis tempora simplicia activa manserint. Postremo unam rem et eam pergravem accurate observes velim. Clare enim, opinor, iam patet et in significatione et in derivatione positam esse originem verborum deponentium, ita quidem ut in secunda et tertia coniugationibus illa praevaleat, in prima et quarta haec sit illa multo potentior; neque tamen certas exstare notiones, quae necessario deponentibus efferantur, neque ullam inveniri etymologiam, quae ad deponentia sola pertineat. Parum igitur refert illa verba — id quod omnes fere fecerunt — secundum normas notionum animo informandarum in classes dividere, cum fieri non possit, quin ad arbitrium uniuscuiusque constituantur. Quapropter satis iam habeo viam ostendisse atque persecutum esse, qua deponentia et originem duxerunt et ad finem pervenerunt.

---

[1]) Ille unus qua necessitudine tempora deponentium simplicia et composita inter se contineantur, conatus est perscrutari. Alii omnes quasi dedita opera silentio hanc quaestionem praeterierunt.